EPISTOLAM

VULGO „AD HEBRAEOS“ INSCRIPTAM

NON AD HEBRAEOS

ID EST CHRISTIANOS GENERE JUDAEOS

SED

AD CHRISTIANOS GENERE GENTILES

ET QUIDEM AD EPHESIOS

DATAM ESSE

DEMONSTRARE CONATUR

EDUARDUS MAXIMILIANUS ROETH

PHILOS. DR. ET AA. LL. M.

FRANCOFURTI AD MOENUM

SUMPTIBUS SIGISMUNDI SCHMERBERI.

MDCCCXXXVI.

PRAEFATIO.

Emittens hunc librum, quo novam interpretandorum N. T. librorum viam aperire conatus sum, nihil habeo, quod optem, nisi ut Viri docti in sententias, quas in medio posui, nulla praejudicata opinione inquirant, deque iis sine ira et studio dijudicent. Quae dijudicatio ne iniqua fiat, paucis exponendum putavi, quem fructum ex prioribus Virorum doctorum de hac epistola studiis ad instituendam hanc quaestionem ceperim. Inter omnia, quae ad explicandam nostram epistolam scripta sunt, quaeque in illo Kuinoelii commentario congesta habemus, nihil adeo mihi adrisit, quam Schulzii prolegomena acuminis plena, quae ejus interpretationi nostrae epistolae praemissa sunt. Ea enim Vir doctissimus disputat ratione, ut etiam ex iis quaestionis

partibus, quibus assentiri non potes, utilitatem quandam percipias, quum sagax et acre ingenium, quod in exponendis et probandis sententiis suis expromit, si approbationem lectoris non movet, eo acrius concertandi et obloquendi studium excitet, atque ita legentis animum ad propriam de rebus sententiam sibi formandam impellat. Atque hoc adjumentum liber Viri doctissimi mihi attulit, quamquam in instituenda quaestione mea nihil ex eo in rem meam convertere potui, quum Vir doctissimus vulgarem de lectoribus epistolae sententiam tueatur. Quam laudem de longe plurimis ceterorum interpretum praedicare non possum, quibus mos est in explicandis locis perspicuis res notas dilatare, obscuros locos, quibus vel maxime explicatione opus est, praetermittere.

Nec majorem fructum ex eorum scriptis cepi, qui in explicandis N. T. libris ex iisdem, quibus ego usus sum, fontibus hauserunt, quorum Lightfootius facile princeps est. Quum enim abhinc plus centum annos vixerint, secundum aetatis indolem in dijudicandis rebus theologicis, ut dicam ex animo quod sentio, caligine quadam mentis et animi angustiis premuntur, quibus impediuntur, quominus fontibus illis recte utantur. Huc accedit, quod Lightfootius, cujus

opus non omnes N.T. libros amplectitur, ipsam nostram epistolam intactam reliquit. Recentiores, qui de disciplina et opinionibus judaicis disseruerunt, maximam partem non ipsi ex fontibus judaicis hauserunt, sed plurima ex priorum libris, Eisenmengeri inprimis, exscripserunt. Quia igitur, quae ex istis protulerunt, magni momenti esse non potuerunt, non mirandum est, quod hodie Viri docti litteris judaicis in interpretandis N.T. libris non magnam auctoritatem tribuunt. Quae quum ita sint, fontes adire malui, quam in consectandis aliorum rivulis tempus terere.

In refutanda vulgari de lectoribus epistolae opinione ex ejus patronis Hugium elegi adversariumque mihi proposui, quia pro sincera vulgari opinione, e qua lectores Hebraeos Hierosolymitanos esse putant, inter omnes validissime propugnavit, argumenta, quae ad eam confirmandam proferri possunt, dilucidissime exponens atque splendidissime exornans. Quem Virum non contemnendum adversarium esse dixerim, neque levis apud me ejus verba sunt ponderis; eique in aliis multis iisque gravissimis rebus plenum assensum tribuo, ut in reprobando illo, quod recentiores sibi finxerunt, archievangelio non litteris mandato sed ore propa-

gato, et in investigando tempore, quo Matthaeus evangelium suum scripsit; quam posteriorem disputationem non omnium Virorum doctorum assensu approbatam esse valde miror. Quo magis doleo, quod Vir clarissimus nimio inflammatus antiquitatis studio, e quo quaslibet novas opiniones refellere, veteres tueri debere putat, in propugnando pro vulgaribus opinionibus contra novas Virorum doctorum doctrinas, non semper a sophismatis abhorret, interdum argumentis usus speciosis magis, quam veris.

Habes lector benevole, quae breviter praemonenda putavi. Vale.

Scribebam Francofurti ad Moenum
ante diem quartum Idus Octobres
a. MDCCCXXXV.

Index argumenti.

Refutatis, quae Viri docti ad firmandam vulgarem opinionem protulerunt, in **ALTERA** disquisitionis **PARTE** auctor hujus libri suam ipsius sententiam de lectoribus epistolae probare studet.

Quum in tractanda epistola Hebraeis inscripta versarer, atque uti omnes, qui ante me huic rei operam suam navarunt, in explanandis iis locis, qui cum ipsa epistolae inscriptione discrepare videntur, frustra desudarem, epistola iterum iterumque perlecta, in eam adductus sum suspicionem, ut ipsam illam inscriptionem omnium difficultatum fontem esse putarem, atque epistolam falso Hebraeis, i. e. Christianis genere Judaeis inscriptam esse arbitrarer, quum non solum tota libri ratio atque consilium, sed etiam aperta quaedam indicia eam ad Christianos genere gentiles datam esse fidem facerent certissimam. Et habebat haec suspicio, quo primo tempore maxime delectarer, quum omnes difficultates tollere videretur, sed mox sollicitudo me invasit ac metus, ne quod a me jam veri fidem impetrasset, inane commentum esset, quod accuratius excussum in nihilum recideret. Tot enim tamque doctos interpretes, si minus veteris ecclesiae, quippe quos non acutissimos criticos fuisse scimus, certe posteriorum saeculorum non vidisse, quod mihi adeo in promptu positum esse et suapte quasi sponte in oculos incurrere videretur, a veri similitudine valde abhorrebat. Sed menti sibi diffidenit

scrupulum exemit sententia illa talmudica: i. e. majores nostros מקום הניחו אבותי להתגדר בו, et nobis locum reliquisse, in quo vires expromere possemus; atque erecto jam animo consilium cepi disquisitionem hac de re quam accuratissimam instituere.

Quae disquisitio tota e comparatione librorum N. T. cum judaicis litteris profecta est, eaque nititur. Namque e libris theologicis Judaeorum et doctrinam et dictionem librorum N. T. explicari posse, immo deberi, ita mihi persuasum est, ut hanc potissimum causam esse putem, cur adhuc a certa et indubitata librorum N. T. interpretatione tanto spatio distemus, quod studium theologiae judaicae usque ad hunc diem prorsus neglectum est.

Non ignoro me hac sententia oppugnare opinionem apud Viros doctos latissime diffusam, et iis ipsis, qui de his rebus disputarunt, probatam, omnibus uno ore consentientibus: litteras rabbinicas ad juvandam N. T. interpretationem nihil valere. Quam sententiam refellere, meamque confirmare, quum neque hujus loci sit neque propositi mei, omni de hac re controversia seposita, id unum postulo, jureque postulare posse mihi videor, ut lector sine praejudicata opinione ad dijudicandam nostram quaestionem adeat. Ac spero fore, ut ipse hic liber ad refellendam vulgarem illam opinionem faciat. Non paucis enim iisque gravissimis N. T. doctrinis, ex. gr. de Dia-

bolo ejusque regno, de geenna ejusque poenis non aeternis, de morte animae vel morte secunda, de judicio extremo et resurrectione, de regno Messiano, de redemtione et liberatione regno Messiano praevia, aliisque permultis lux a nobis ex libris rabbinicis affertur; praeterea multi et nostrae epistolae et universorum N. T. librorum loci nova eaque vera, ut spero, interpretatione explanantur, quam et ipsam litterarum judaicarum studio debemus.

Simul alii errori occurrere opus erit. Multi enim theologiam judaicam et cabbalam unam eandemque rem habere videntur, ac nomine dogmatis alicujus judaici prolato de recondita ac tenebricosa cabbalae doctrina cogitare. Quos praemonendos esse duxi, res illas esse diversissimas, atque haud raro inter se plane contrarias, ita ut fieri possit, ut quis dogmatis judaicis plenam fidem tribuat, idemque doctrinam cabbalisticam prorsus reprobet et rejiciat. Quae res non paucorum magistrorum judaicorum eorumque summa orthodoxiae et pietatis gloria fruentium exemplo amplissime confirmatur. Hoc igitur discrimen inter dogmaticam Judaeorum theologiam et cabbalam in instituenda quaestione nostra religiose observavi, neque cabbalisticas doctrinas vulgaribus Judaeorum dogmatis immiscui.

Valde equidem cupiebam, laudatos libros rabbinicos secundum scholas et aetates in ordinem quendam redigere, ut lectores de uniuscujusque

auctoritate ipsi sibi judicium formare possent. Attamen quum nemini adhuc in mentem venerit, historiam dogmatum judaicorum concinnare, ac primos ejus rei conatus facere peculiaris ejusque amplioris libri fuisset, hic rem intactam relinquere coactus sum.

In exscribendis librorum rabbinicorum locis eam observavi legem, ut, quae nota essent, non repeterem, ac quum Bertholdti librum de Christologia Judaeorum in omnium Virorum doctorum his studiis vacantium manibus esse credere deberem, in omnibus iis rebus, quas Bertholdtus sufficienter tractavit, ad eum lectores relegavi. In convertendis his locis e lingua hebraica in latinam, summam diligentiam in eo posui, ut verbum verbo redderem, ne forte scriptoris sententia a me adulteraretur, maluique interpretationem barbaram quam minus accuratam esse. Eadem ex causa si quid a me ad illustrandam sententiam adjectum est, uncis appositis id factum esse indicavi.

His praemissis ad ipsam disputationem transgrediamur. Omnis autem quaestio duabus partibus continebitur: prior pars versabitur in examinandis rationibus, quibus vulgaris nititur opinio, epistolam ad Hebraeos scriptam esse; — altera in exponendis iis argumentis, quibus meam sententiam probare studebo.

PARS I.

CAPUT I.

§. 1. Duo sunt, quae ad probandam vulgarem opinionem adhiberi possunt: testimonia ecclesiae a scriptoribus ecclesiasticis primorum saeculorum tradita, tum argumenta ex ipsa epistola desumta.

§. 2. Quod ad testimonia ecclesiae attinet, summa eorum, quae Viri docti de hac re disputarunt, est fere haec.

Inter patres et graecae et latinae ecclesiae, qui, epistolae nostrae mentione facta, lectores epistolae nominatim indicarunt, nullus est, quin Hebraeos eos nuncupet; nam conjectura illa, qua epistolam nostram in fragmento Muratorio sub nomine epistolae ad Alexandrinos indicatam esse putant, valde incerta est, minimeque idoneis argumentis confirmatur. Contra multi sunt, quibus patres hanc opinionem non ab antiquis traditam habuisse, sed e sola epistolae inscriptione sumsisse videntur. Haec inscriptio epistolae in omni-

bus quidem libris manuscriptis eadem est atque hodie usitata, neque quidquam ex ea re colligi potest, quod in duobus libris manuscriptis, veterem latinam librorum N. T. versionem continentibus, epistola inscriptione omnino caret, quum in altero eorum etiam epistola ad Corinthios inscriptione careat, idque igitur nonnisi casu factum videatur. Sed demonstrant his inscriptionibus nullam auctoritatem tribuendam esse, quum tituli, libris N. T. posteriore demum tempore praepositi, non raro e conjectura facti sint, et nostris temporibus falsi cogniti, itaque, etsi epistolae nostrae inscriptio pervetusta esse videatur, quum omnes libri manuscripti in ea concordent, nihilominus eam ad dijudicandam rem non valere.

Itaque hac via quaestio de lectoribus epistolae disceptari non potest.

§. 3. Mittamus igitur illa ecclesiae testimonia, quibus lis dirimi non potest, et, statim ad alterum opinionis fontem transgressi, ea argumenta perpendamus, quae ex ipsa epistola ad firmandam vulgarem opinionem adhibentur.

§. 4. Jam vero mira res nobis occurrit, etenim quum argumenta pro sententia vulgari circumspicimus, nulla invenimus. Adeo ejus veritas extra dubium posita videbatur omnibus, ut nemo necesse duxerit, disertis verbis eam probare. Nam quantacunque difficultas est, iis, ad quos epistola data est, quos Hebraeos putant, locum

ac sedem rebus quibusdam in epistola commemoratis convenientem dandi, nemini tamen interpretum in mentem venit id ipsum dubitare: an epistola revera ad Hebraeos esset scripta; ita ut, quantumvis inter se in removenda illa difficultate dissentiant, in hac tamen sententia miro cum consensu concordent. Itaque quum sententia vulgaris nunquam in dubium vocata esset, nemini eam peculiaribus argumentis firmare opus est visum, nisi quod, quum existimarent: istos Hebraeos, ad quos epistola scripta esset, Hierosolymitanos esse debere, obiter quaedam attulerunt, quibus demonstratur: epistolam omnino ad Hebraeos scriptam esse. Haec igitur argumenta accuratius jam consideranda erunt.

CAPUT II.

§. 5. Primum argumentum ex universa indole epistolae desumtum est. Litteras, dicunt, tam judaizantes (sit venia verbo) non nisi Judaeis genere hominibus, iisque Hierosolymitanis, dari potuisse. «Et universa libri species, ait Hugius *, et singu-«larum partium ratio, atque adeo unusquisque «fere ejus locus pro se docet, esse eum Judaeo-«rum in usum scriptum, et eorum quidem, qui «cultum Jehovae in templo Hierosolymitano usi-«tatum ejusque sacra et eorum, quae ad ritus «sacros pertinerent, vel minutias penitus nossent.» Tales autem Judaeos non nisi Hierosolymitanos esse potuisse, ita probare studet Vir doctissimus, ut argumentetur: tam accuratam sacrorum rituum scientiam, nisi qui ipse iis interfuerit, sibi comparare non potuisse, optime autem hoc quadrare in Hierosolymitanos, qui templum ritusque sacros perpetuo ante oculos habuerint. Denique argumentationem concludens, «his, inquit, rationi-«bus ductus jam Chrysostomus, tota epistolae ra-«tione recte perspecta, e cognitionibus ad intelli-«gendam epistolam necessariis collegit, ad Judaeos «Palaestinenses scriptum esse librum.»

* Einleitung in d. Schriften des N. T., Tom. II, §. 141, p. 452.

§. 6. Haec Hugii argumentatio, etsi speciosissima videtur, valde tamen a vero abhorret.

1. Namque quod ritus ac sacra quibusdam epistolae locis commemorata ad templum Hierosolymitanum cultumque Jehovae in eo institutum referenda esse putant, in errore versantur interpretes. Nihil quidem in iis locis, qui de sacerdotibus ac ritibus agunt, inest, quod impediat, quominus de templo Hierosolymitano cogites; sed quum probas: locum aliquem admittere interpretationem quandam, non statim sequitur, ut ea unice vera sit, praesertim quum alii epistolae loci (v. c. cap. 10, v. 6 etc.) de tabernaculo (σκηνὴ) nec vero de templo agant.

2. At dixerit fortasse aliquis: Epistolae auctor de sacerdotio cultuque Jehovae disserit, qualis ipsius aetate viguit, siquidem praesenti tempore utitur (c. 9, v. 6): in anticum tabernaculum, ait, sacerdotum quivis intrat, idque quotidie; in posticum contra nemo nisi summus sacerdos, ac vel hic semel tantum in anno, — quare tabernaculum de templo interpretandum. Haec qui objicit, ei respondendum: scriptorem alio quoque loco (qui est c. 9, v. 11) eodem illo praesenti tempore uti: corpora, inquit, victimarum piacularium extra castra concre*mantur*, quum ei dicendum esset: corpora victimarum concre*mabantur*. Jam dudum enim tempus illud abierat, quo Israelitae per regiones desertas migrantes, si quo loco paullo diutius commorabantur, in castrorum tentoriis

habitaverant. Non igitur eo, quod praesenti tempore usus est scriptor, licet concludere, ab eo consuetudinem, quae ad suam usque aetatem viguerit, indicari. Itaque cave, ne etiam altero illo loco temporis praesentis usum nimis urgeas. In utraque enuntiatione, verum si quaeris, tempus praesens rem indicat non aetate scriptoris factam, sed animo ejus tam perspicue obversantem, ut eam veluti praesentem oculis contueri videatur, id quod hominis est in sacris libris volutati.

3. Denique locum illum de tabernaculo ejusque cultu non nisi ad verum tabernaculum Moysis, neque ullo modo ad templum referri posse, aliud argumentum ita confirmat, ut mihi quidem nulla omnino dubitatio relinqui videatur. Namque inter utensilia tabernaculi postici ea enumerantur, quae solius tabernaculi propria fuerant, neque amplius in templo secundo reperiebantur. Locus est c. 9, v. 4. Utensilia autem, quae dico, sunt: arca foederis, in qua tabulae legum inerant, cum urceo aureo mannam continente, et Aaronis scipione; quae omnia (siquidem omnia tum temporis adhuc exstabant, cf. 1 Reg. 8, 9; 2 Chron. 5, 10.) in vastatione Hierosolymae per Nebuchodonassarem facta una cum veteri templo perierunt, aut ut rabbini dicunt ante vastationem abscondita sunt, id quod pluribus locis talmudicis narratur, ut in tract. Joma, sect. 5. (Ajin Jaakof, Tom. I, fol. 126, col. 3): משנגנז ארון נגנז עמו צנצנת המן וצלוחית של שמן

i. e. Ex המשחה ומקלו של אהרן בשקדיה ופרחיה, quo arca foederis (cum tabulis legum) abscondita est, etiam urna mannae, urceus olei unctorii atque scipio Aharonis cum amygdalis et floribus una abscondita sunt. Quae res iisdem verbis repetitur in tract. Horajoth, sect. 3. (Ajin Jaakof, Tom. III, fol. 16, c. 3) et in tract. Schekalim, sect. 17. (Ajin Jaakof, Tom. II, fol. 12, col. 3). Jure igitur mirandum est, quod interpretes putare potuerunt, scriptorem de templo Hierosolymitano agere quum ex omnibus, quos laudavimus, locis pateat, scriptorem non aequalium ritus et sacra spectare, sed eos, quos in libris Moysis descriptos invenimus.

Quum igitur illos locos ad templum Hierosolymitanum falso referri viderimus, argumentatio quoque tota, quae in hac interpretatione nititur, non amplius stare potest.

§. 7. Ut autem illa interpretatio omnino recta sit, nihilo tamen minus argumentatio ipsa falsa est.

1. Nam etiamsi cultum templi Hierosolymitani in nostra epistola saepius commemoratum esse dicas, hac tamen re non probavisti, lectores Judaeos fuisse debere. Neque enim obiter ac breviter de his rebus agit scriptor, quod facere solemus, quum iis utimur lectoribus, quibus, ut earum rerum, de quibus agitur, scientia jam pridem imbutis, brevis commemoratio paucissimis verbis constricta ad intelligendum sufficiat; sed copiose res illas describit, atque ita, ut eas lectoribus non satis notas fuisse putandum sit. Do-

cet, quales res in tentorio fuerint; docet, sacerdotes tabernaculum anticum quotidie, summum vero pontificem posticum semel tantum singulis annis intrare; docet, vasa et aram tabernaculi sanguine adsperso consecrari solita esse, et corpora victimarum piacularium ante castra concremari; et quae sunt generis ejusdem, quae omnia Judaeis lectoribus minime ignota, minime igitur tam copiose describenda erant. Quare haec ipsa verborum copia valet potius ad hanc sententiam comprobandam: lectores non Judaeos fuisse.

2. Quod autem Chrysostomum in partes vocant, id non magis rem probare mihi videtur. Etenim si ex rebus ad intelligendum quoddam scriptum necessariis, certo colligere liceret genus lectorum, nihil certius esset, quam Pauli quoque epistolas ad Hebraeos scriptas esse, quum refertae sint doctrina judaica, atque abundent rebus paullo obscurioribus, quae nemini, nisi qui rabbinica eruditione imbutus est, penitus apertae sunt ad intelligendum; quales sunt commemoratio tertii coeli et paradisi (2 Corinth. 12, 2, 4.), quam nemo intelligit, nisi qui scit, coetum animarum ab omni parte piarum, in tertio coelo apud Deum viventium, paradisum superiorem nominari, id quod infra demonstrabimus, — commemoratio postremi tubae cantus (1 Cor. 15, 52.), naturae innovationem sui vehementissime desiderantis (Rom. 8, 22.), magistratuum et potestatum tenebrarum hujus seculi et malorum daemonum in regionibus

aëriis versantium (Ephes. 6, 12.), et illius saxi, qui sit Messias (1 Cor. 10, 4.), atque id genus plura. Quae omnia, ut penitus intelligas, in rabbinica doctrina bene versatus sis necesse est. Et tamen epistolae illae ad gentiles scriptae sunt.

Hoc primo igitur argumento, ex universa epistolae indole desumto, nihil probatur.

CAPUT III.

§. 8. Alterius ejusque principalis argumenti summa haec est: In epistola lectores cogitari ad defectionem a religione christiana pronissimos, id quod optime in Christianos genere Judaeos et quidem Hierosolymitanos quadrare, qui observandae legis mosaicae usque tenaces, ac splendore templi Hierosolymitani ejusque sacrorum capti, facile adduci potuerint, ut a nova religione se averterent et ad pristina sacra redirent. Quam argumentationem Hugius hunc in modum dilatavit: * «Religio judaica in Palaestina homines firmissi-«mis iisdemque suavissimis vinculis constrictos «tenebat, mentibus sensibusque eorum magnifi-«centia sacrorum splendoreque rituum allectis et «occupatis, quum e contrario religio christiana «simplex esset, et quemlibet splendorem sperne-«ret, quippe cujus exercendae ratio omnis con-«sisteret in conventibus hominum modestorum «ac virtuti amicorum, neque pontifice, neque ara, «neque sacris adhibitis. Judaeorum quot dies «sacri totidem erant dies laeti; quorum multi «constituti ad memoriam antiquorum Dei bene-«ficiorum propagandam, studium atque amorem

* Einleitung in d. Schriften des N. T., Tom. II, §. 142, p. 454.

«erga Moysem et legem ab eo datam incende-«bant; alii solatium dabant, ex. gr. dies expiatio-«nis, quo die summus sacerdos, sacro interiore «inito, ad Deum accedens omnem populum expia-«bat. His omnibus Christiani non fruebantur, «id quod eorum religioni apud Palaestinenses «vituperationi erat. Ideo christiana religio multo-«rum animis, qui ad Deum ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ «colendum nondum satis parati erant, minime «satisfacere, certe eos non diu tenere poterat. «Itaque facile inveniebantur, qui consilium cape-«rent eam religionem destituendi, quae patria «religione inferior esse videretur.»

§. 9. Omissis iis, quibus Vir doctissimus probare conatur, epistolam ad Hierosolymitanos esse scriptam, non nisi ea argumenta, quae ad confirmandam sententiam, epistolam omnino hominibus genere Judaeis esse datam, pertinent, accuratius considerabimus.

Haec vero argumenta quamvis splendida atque speciose exornata sint, tamen vereor, ne aeque futilia sint. Nata enim sunt e confusis immo falsis notionibus, quas vulgo de ambabus, quales tum erant, religionibus, tam judaica, quam christiana, animo nobis fingere consuevimus; namque quum necessitudo atque cognatio, quam religio christiana cum judaica habet, neglecta est, neque vera utriusque differentia percepta; tum, quae apud ipsos Christianos inter utramque partem intercedebat, dissensio prorsus praetermissa est,

ac plura, quae solis Christianis e gentilibus vel, ut accuratius loquar, Christianis et Judaeis extra Hierosolymam viventibus propria erant, perperam universis Christianis peculiaria fuisse dicuntur.

Haec ne temere a me dicta videantur, argumenta paullo altius petamus necesse est. Doctrinarum enim utriusque religionis summa breviter erit exponenda, ut rectam de iis cogitationem quisque ipse animo sibi formare possit.

§. 10. Primum igitur doctrina judaica breviter est delineanda, quia totius quaestionis nostrae fundamentum est. Deinde erit exponendum, quibus placitis communis sectarum christianarum doctrina a judaica differat; postremo, quibus de rebus sectae christianae ipsae inter se dissenserint, ex qua disputatione rectum de Hugii argumentatione judicium ultro nascetur. Simul patebit, qua ratione omnes sententiae Christianis propriae et a doctrina judaica recedentes ex hac ipsa natae sint, et cum ea cohaereant. Quae expositio etiam fundamento erit iis, quae posthac disputabimus.

CAPUT IV.

§. 11. 1. Mundus, corpus universitatis, Judaeo tribus partibus constat: terra, et coelo supra terram, et orco infra eam sito.

2. Coelum ex tribus[1] convexitatibus vel sphaeris alia super aliam pendentibus compositum est.

---

[1] Rabbini vulgo quidem septem enumerant coela: Talmud, tract. Chagiga. (Ajin Jaakof, Tom. I, fol. 207, col. 1.):
רי"ש לקיש אמר, שבעה (רקיעין הן). ואלו הן וילון,
רקיע, שחקים, זבול, מעון, מכון, ערבות. i. e. Resch Lakisch dixit, septem esse coela. Et ea sunt: Velon, Rakia, Schechakim, Sebul, Maon, Machon et Araboth. — In uberiore autem horum septem coelorum descriptione solum secundo, quarto et septimo res rationi convenientes tribuuntur, primo contra nihil, ac tertio, quinto et sexto res omnino absurdae sanaeque menti repugnantes. Dicit enim Resch Lakisch:
רקיע (quod est secundum coelum) שבו חמה ולבנה,
ככבים ומזלות קבועים בו. i. e. Sol et luna, stellae fixae et planetae coelo Rakia infixae sunt; deinde de coelo quarto dicit:
זבול שבו ירושלים ובית המקדש ומזבח בנוי
ומיכאל שר הגדול עומד ומקריב עליו קרבן בכל
יום. i. e. In coelo Sebul inest Hierosolyma (Hebr. 12, 22.) et aedes sacra (cf. Apoc. 11, 19; 15, 5.), et ara statuta est, et Michael princeps magnus stat et offert in ea sacrum quotidie; denique de coelo septimo:
ערבות שבו נשמתן של צדיקים, ורוחות ונשמות

Infimum coelum est coelum stelliferum; in medio coelo sita est Hierosolyma coelestis cum templo Dei coelesti, in quo Michael sacra facit; in summo inveniuntur Dei thronus clarissima luce splendens, agmina angelorum ministran-

---

שעתידות להבראות וטל שעתיד הקב"ה להחיות בו את המתים, ושם אופנים ושרפים וחיות הקודש ומלאכי השרת, וכסא הכבוד, ומלך רם ונשא שוכן עליהם. i. e. In Araboth insunt animae hominum justorum [quarum coetus nominatur paradisus superior, vide infra], spiritus et animae eorum, qui in posterum creabuntur, et ros, quo olim sanctus Deus vivos reddet mortuos, ibique Rotae, et Seraphim [angeli ignei], et animalia Sancti (Ezech. 1; Jesaias 6.), atque angeli ministrantes, et thronus majestatis, atque Altissimus super iis residens. — In tertio contra coelo molae inesse dicuntur ad molendam mannam, in quinto angeli ministrantes Dei laudem canentes, quos tamen in septimo quoque proferri vidimus. In sexto adeo malus ros et tempestates et plura id genus inesse dicuntur. Quae quum absurdissima sint, statuendum videbatur, haec quatuor coela: primum, tertium, quintum et sextum, posteriora esse additamenta ad explendum numerum septenarium ex astronomia Graecorum repetitum, ac veteres magistros judaicos nonnisi reliqua tria coela supra descripta agnovisse, praesertim quum Paulus in 2 ep. ad Corinth., c 12, v. 2 et 4, de tertio coelo loquatur, et paradisum in eo collocare videatur. Quam conjecturam hoc loco comprobatam inveni: Jalkut Schimoni, Tom. I, sect. Ekef, fol. 270, col. 1, ad explicandum locum 5 Mos. 10, 14:

רבותינו אומרים: שלשה (רקיעין הן) שנאמר, הן ליי' אלהיך השמים ושמי השמים. i. e. Magistri nostri dixerunt: Tria sunt coela, ut dictum est (5 Mos. 10, 14.): En Domini Dei tui coelum est et coelum coeli.

tium, atque animae hominum ab omni parte piorum, quarum coetus paradisus superior [2] nominatur.

3. Terra inter coelum et orcum, medium mundi locum amplectens, jure quidem in Dei creatoris ditione esse debebat, reapse autem Diaboli, pessimi angeli, imperio tenetur [3].

---

[2] Animas illas hominum ab omnibus partibus piorum in summo coelo congregatas paradisum superiorem nominari, docet commentarius ad locum illum, quem supra ex Talmudo excerpsimus (tract. Chagiga, Ajin Jaakof, Tom. I, fol. 207, col. 2). Dicit enim:

נשמתן של צדיקים זהו צרור החיים, מפורש בפרק שואל. i. e. Animae piorum sunt fasciculus vitarum [quod est unum ex septem paradisi superioris nominibus], id quod est explicatum in sectione Schoel (tract. Schabbath, sect. 23, Ajin Jaakof, Tom. I, fol. 89, col. 3). Ubi dicitur:

נשמות של צדיקים הם גנוזות. תחת כסא הכבוד, וזהו הנקרא גן עדן של מעלה. i. e. *Animae piorum reconditae sunt sub throno divinae majestatis* [v. supra] et eae sunt, *quae nominantur paradisus superior.*

Cf. Sohar, Tom. I, paraschah Vajera, fol. 106, col. 4, [Medrasch hanelam) — ubi dicitur:

גן עדן למעלה לנשמתן של צדיקים גמורים להיות נזונין מאור הגדול של מעלה. i. e. Paradisus superior est pro animis absolute piorum, ut nutriantur luce magna Supremi [i. e. Dei].

[3] Talmud, tract. Baba bathra, sect. Haschuthphin. (Ajin Jaakof, Tom. II, fol. 120, col. 4):

ארץ נתנה ביד רשע. ר׳ יהושע אמר: לא דבר איוב אלא כנגד שטן. i.e. Terra tradita est in manus *Mali* (Job. 9, 24.); dixit R. Josua, non nisi contra *Satanam* Jobus haec loquutus est.

Diabolus enim cum ceteris angelis partes ejus sequentibus, tartaro (vide annot. 23.) relicto in superficie terrae circumvagans, homines omnibus modis ad peccandum Deumque deserendum sollicitat, et in seductos dominatur. Postquam vero homines peccaverunt, tum eos apud Deum accusat, et puniendorum eorum potestatem a Deo petit, ac deinde iis, qui in potestatem ejus traditi sunt, vitam eripit[4].

Etiam R. Sal. Jarchi in commentario ad illum Jobi locum verba: ביד רשע explicat ita: כלפי שטן i. e. De Satana hoc dictum.

Cf. Sohar, Tom. II, par. Eleh pekude, fol. 223, pag. 2: האי עלמא איהו חולקא דסטרא אחרא. i. e. Hic mundus partis alterius [i. e. partis Diaboli] est (cf. Matth. 4, 9, 10; et Luc. 4, 5 et 6.).

[4] Talmud, tract. Baba bathra, sect. 1. (Ajin Jaakof, Tom. II, fol. 120, col. 3:

תנא, (השטן) יורד ומסית, עולה ומשטין, נוטל רשות, ונוטל נשמה. i. e. Didicimus: Satanas descendit ac seducit[a], ascendit et accusat[b], sumit potestatem[c], et sumit animam[d].

[a] Sohar, Tom. I, par. Vajera, fol. 113, col. 1:

השטן דא יצר הרע דאיהו משוטט ואזל בעלמא לנטלא נשמתין ולאפקא רוחין ולמסטי לון לברייתא.

i. e. *Satan,* illa mala concupiscentia, *vagatur* et circumit *per mundum ad* auferendas animas et eximendos spiritus et *seducendas creaturas* (cf. 1 Petr. 5, 8; Apoc. 12, 9; 1 Joh. 13, 2, 27; Matth. 4, 1; Luc. 22, 3.).

Atque eodem loco paullo inferius dicitur (col. 3 sqq.):

מן ההוא יומא דההוא חויא בישא דאתפתח ביה

In animas vero ipsas post mortem homi-

אדם, שליט על אדם ושליט על עלמא, איהו קאים
למסטי עלמא, ועלמא לא יכיל לנפקא מעונשיה
עד דייתי מלכא משיחא. i. e. Ab illo die, quo homo a mala angue (2 Cor. 11, 3; Apoc. 20, 2.) seductus est, dominatur ea in hominem (Act. 10, 38) et dominatur in mundum, et *stat* ad *seducendum mundum*, et mundus exire prius non potest ex ejus poena, quam veniet rex Messias.

[b] Sohar, Tom. II, par. Ba el pharaoh, fol. 32, pag. 2:
כמה אצטריכו בני נשא למהך בארחי דקב״ה
למטר פקודי אוריתא. בגין דיזכון בה לעלמא דאתי,
ולשובא לון מכל קטרוגין דעילא ותתא. בגין דהא
כמה דאשתכחו מקטרגין בעלמא לתתא, הכי נמי
אשתכחו מקטרגין לעילא, דקיימי עלייהו דבני
נשא........וכתיב, ותסיתני בו לבלעו חנם,
לאחזאה דהא רשו אתמסר לסטרא אחרא
לקטרגא. i. e. Quam necesse est filiis hominum ire vias Sanctissimi et observare praecepta legis! Ea enim re adipiscuntur mundum futurum, ac se liberant ab *accusatoribus* superne atque inferne. Nam sicut inveniuntur accusatores in mundo inferne, ita etiam inveniuntur *accusatores* superne, qui *stant contra filios hominum*.... Scriptum est (Job. 2, 3.): Tu autem commovisti me adversus eum, ut affligerem eum frustra; ad ostendendum: *potestatem accusandi esse traditam parti alteri* (cf. Apoc. 12, 10; Rom. 8, 33 conj. cum v. 38 et 39.).

Et Sohar, Tom. III, par. Emor, fol. 98, pag. 2. (Raja Mehimna):
ודאי בודא דהאי מקטרג שוי קב״ה למתבע דינא
על כל עלמא........עשה להאי מקטרגא ואתקין
ליה קמיה למהוי סייפא שננא על כל עלמא......
ודא איהו סנטירא דתבע חובי בני נשא, ותבע
דינא, ותפיס נשא, וקטיל לון, ואלקי לון, כלא

num Diabolus, quia geennae imperium non

כמה דנפיק מן דינא. i. e. Certe in manus hujus *accusatoris* dedit Sanctissimus, quaerere *judicium* contra totum mundum..... Fecit illum accusatorem ac constituit eum, ut esset coram ipso *gladius acutus contra totum mundum*.... Atque ille est *punitor,* qui quaerit culpas filiorum hominum, et quaerit judicium, et capit filios hominum, et occidit eos, et percutit eos, omnia uti ex judicio sequuntur.

[c] Sohar, Tom, I, par. Noach, fol. 62, pag. 2, atque in additamentis ad finem Tom.I. adjectis, fol. 3, pag. 2 infra (quum enim statim initio loci citati in contextu verborum lacuna sit, ad finem tomi relegamur, ubi eam expletam invenimus):

כד סגו חובי בני נשא האי דלטורא בשעתא
דדינא אתער על חובי עלמא, כדין איהו אתי
ואשתכח דלטורא קמיה קב״ה. ויסתאב מקדשא
וכל אנפין עציבין ודינא אשתכח. ועל״ד: קץ כל
בשר בא לפני. בא לפני ודאי, למתבע חובי עלמא
בגין דאינון גרמו.......קץ כל בשר בא לפני.
מאן איהו. דא קץ דאחשך אפייהו דברייתא, דאיהו
קץ כל בשר בא לפני. מכאן אוליפנא חייבי עלמא
מקדימין ליה ומשכן ליה עלייהו לאחשכא לון.
דכיון דיהבי ליה רשותא נטיל נשמתא ולא נטיל עד
דיהבי ליה רשותא. על דא בא לפני, למיטל רשו
לאחשכא אפייהו דבני עלמא. i. e. Quum multae sunt culpae filiorum hominum, delator ille eo tempore, quo judicium excitatur de culpis mundi, tunc venit et reperitur delator coram Sanctissimo. Tum polluitur sanctuarium atque omnes facies contristantur, atque judicium experiuntur. Ac de hoc scriptum est (Genes. 27, 13.): *Finis* universae *carnis* coram me venit. Venit [finis carnis] coram me proprie [personaliter, i. e. ipse Diabolus] ad requirendas culpas mundi, hae enim causam praebuerunt. [Huc usque verba ex appendice petita

tenet (vide annot. 14.), nullam exercet potesta-

---

sunt, quibus lacuna expletur.] .... *Finis omnis carnis venit coram me.* Quis est is? Is est finis, qui contristat facies creaturarum, ille finis omnis carnis venit coram me. Ex quo discimus: culpas mundi venire coram eo [Diabolo], easque eum in se attrahere, ut contristet eos [homines]. *Et simulac permissio ei data est*, eripit *vitam*, neque *eam eripit*, nisi *permissio ei data est*. Atque ideo [scriptum est]: *Venit coram me,* ad REQUIRENDAM PERMISSIONEM (cf. Luc. 22, 31.) *contristandi facies filiorum mundi* [i. e. eos puniendi atque interficiendi] (cf. Hebr. 2, 14; Apoc. 6, 8.).

[d] Sohar, Tom. I, par. Vajeza Jaakof, fol. 152, pag. 2:

וכד בר נש אסטי מארחי דאוריתא, כדין......צר דיליה ומארי דבבו איהו לגביה. ושליט עלוי ההוא דאקרי רע, עד דמקטרג ביה בהאי עלמא ובעלמא דאתי. תא חזי. האי רע דאיהו יצר הרע, שליט על עלמא בכמה סטרין, וכמה שלטנו אית ליה בעלמא. ואיהו חויא תקיפא דחב ביה אדם וכשלין ביה בני עלמא, ומשכי ליה עליהו עד דאפיק לון נשמתיהן. ותא חזי, כד איהו שלט, שלט על גופא, וכיון דעל גופא שלט נשמתא נפקה מניה, בגין דגופא אסתאב, ונשמתא סלקא. ולא שליט עליה עד דנטיל רשו........ועל דא איהו קץ דשמאלא וחא אוקמוה דאית קץ לימינא ואית קץ לשמאלא. והאי קץ דשמאלא איהו קץ כל בשר. קץ כל בשר אקרי, קץ כל רוחא לא אקרי. ורזא דמלה, דא איהו קץ ודא איהו קץ, דא קץ על בשרא, ודא על רוחא. בגין כך, דא פנימי ודא חיצון, דא ימינא ודא שמאלא, דא קדישא ודא מסאבא.

i. e. Quando filius hominis discedit a via legis, tum Adversarius [Diabolus] ac Domini inimicitiae [mali angeli] sunt

tem [5]. Quare Diabolo, quod in hominibus malas cupiditates excitat eosque ad peccandum sol-

---

apud eum, *et dominatur in eum is, qui Malus nominatur* [i. e. Diabolus]; donec accusat eum in hoc mundo et in mundo futuro. Veni et vide. *Ille Malus, qui est concupiscentia mala* dominatur in mundum multis modis; et quanta dominatio ejus est in mundum! *Ille est anguis fortis*, qua Adamus reus factus est, et *in qua labuntur filii mundi*, et quam ad se trahunt, *donec vitas iis eximit* (cf. Rom. 6, 23; 7, 5, 11; Jac. 1, 15; cf. annot. 6.). Ac veni et vide. Qui si dominatur, dominatur in corpus; et simulatque in corpus dominatur, ánima ex hoc exit; quia enim corpus pollutum est, anima discedit. Non vero dominatur in eum, nisi data potestate.... Ideoque ille est finis sinister, uti diximus: esse finem dexterum et finem sinistrum. Ille finis sinister est finis omnis carnis. Finis omnis carnis nominatur, sed *finis animae* non nominatur. Indicium in verbo est: Ille [Satanas] est finis, et hic [Deus] est finis; ille est finis carnis, hic est finis animae; ideoque hic est interior, ille exterior; hic est dexter, ille sinister; hic sanctus, ille impurus.

[5] Moreh nebochim, Tom. III, sect. 12, fol. 27, pag. 1:
כאשר זכר שוט השטן בארץ בלבד, באר שהוא נמנע מלשלוט על הנפש, ושנתן לו שלוט על אלו הדברים הארציים כולם, ונבדל בינו ובין הנפש, כלומר שלא נתן לו רשות עליה, והוא אמרו אך את נפשו שמור. וככר ביארתי לך שתוף שם נפש בלשוננו, שהוא נופל על הדבר הנשאר מן האדם אחר המות, והוא הדבר אשר אין לשטן שלוט עליו.
i. e. Eo quod commemorat [script. sacra, Job. 2, 2.] Satanam solummodo in terra vagantem, explicat, eum in animam omnino dominari non posse, ac *datam esse ei dominationem in omnes has res terrestres*, sed discrimen interesse inter eum et animam, id quod dicere sibi vult,

licitat, malae concupiscentiae nomen est; quod hominibus animas eximit, angelo mortis [e]; et quod

---

non datam esse ei potestatem de anima. Atque haec sibi volunt illa verba: tamen animam ejus serva (Job. 2, 6.). Jam tibi explicavi vim nominis *animae* in lingua nostra, id in illam *rem* cadere, quae *superest de homine post mortem, et ea est res, in quam Satanae nulla est dominatio* (cf. Rom. 6, 7, conjunct. cum v. 10; et annot. 6).

Sohar, Tom. II, par. Ba el pharaoh, fol. 33, pag. 1:
ת״ח מה כתיב אך את נפשו שמור ואתיהב ליה רשו למשלט על בשרא. בגין רזא דכתיב: קץ כל בשר בא לפני, ואוקמוה בא לפני ודאי, איהו קץ כל בשר, ולא רוחא. ואתמר דאיהו קץ דאתי מסטרא דחשך כד״א קץ שם לחשך, ולכל תכלית הוא חוקר ולכל בשרא. בגין דאיהו קץ אחרא ואקרי קץ הימין. ודא איהו קץ אחרא מסטרא דשמאלא, דאיהו חשך. ועד״ אתייהיב ליה רשו בעצמו ובשרו.
i. e. Veni et vide. Cur scriptum est: Tamen animam serva? Data est ei potestas dominari in carnem, secundum indicium illud, quod est scriptum (Gen. 6, 13.): Finis omnis *carnis* venit coram me. Et jam diximus (v. annot. 4[d].) venit coram me re vera [personaliter]. Ille est *finis carnis, sed non animae.* Didicimus: Ille est finis, qui venit a parte tenebrarum. Ut dictum est (Job. 28, 3.): Finem posuit tenebris et omnibus interitum [mortem] is quaerit, i. e. omni carni. Nam est etiam alius finis, et nominatur finis dexter. Hic vero est finis alter a parte sinistra, quae sunt tenebrae. Ideo ei data est potestas [solum] de ossibus et carne. [Jam plane intelliges illud Pauli dictum (1 Cor. 5, 5.): *tradere talem Satanae in interitum carnis, ut anima salva sit in die Domini nostri.*]

[6] Talmud, tract. Baba bathra, sect. Haschuthphin. (Ajin Jaakof, Tom. II, fol. 120, col. 4.):

propter omnium hominum peccata in totum mundum dominatur, regi et domino[7] quin etiam alteri Deo hujus mundi (cf. annot. 11.).

הוא שטן, הוא יצר הרע, הוא מלאך המות. הוא שטן דכתיב: ויצא השטן מאת פני יי׳. הוא יצר הרע, כתיב התם: רק רע כל היום.....,.....הוא מלאך המות, דכתיב: רק את נפשו שמור. i. e. Ille est Satanas, ille est mala concupiscentia, ille est angelus mortis (Apoc. 20, 14; 1 Cor. 15, 26, 54, 55; 2 Tim. 1, 10, et Hebr. 2, 4.). Est Satanas, sicut scriptum est (Job. 2, 7.): abiit Satanas a Domino. Est mala concupiscentia, nam illic (Gen. 6, 5.) scriptum est: Nihil nisi malum quotidie. Est angelus mortis, nam scriptum est (Job. 2, 6.): Solum animam ejus serva (quod, quid sibi velit, ex annot. praecedente videre licet).

Vel ut Maimonides dicit: Moreh nebochim, Tom. III. sect. 12, fol. 27, pag. 1:

אמר ר׳ שמעון בן לקיש: הוא שטן, הוא יצר הרע, הוא מלאך המות.........התבאר לך שענין אחד בעצמו יכונה בשלשת השמות האלה ושכל הפעולות המיוחסות לכל אחד מאלו השלשת הם כלם פעל דבר אחר. i. e. Dixit R. Simeon ben Lakisch: Ille est Satanas, ille est mala concupiscentia, ille est angelus mortis; quo tibi explicatur, unam rem quoad substantiam nuncupari tribus his nominibus, et *omnia facta attributa unicuique ex his tribus, cuncta esse facta unius rei.* — Regula haec novam lucem affert epistolae Pauli ad Rom., ubi *Diabolus* nomine *peccati* et *mortis* significatur; cf. Rom. 6, 9 — 14, ubi *Deo peccatum;* et Rom. 7, 4 et 5, ubi *Deo mors* opponitur, id quod non nisi de Diabolo explicatum, apertum est ad intelligendum, cf. Rom. 5, 21. 7, 11, cum Hebr. 2, 14, in quibus locis Diabolo causa mortis attribuitur; 1 Cor. 15, 26; et multi alii loci.

[7] Sohar, Tom. I, par. Vajeschef, fol. 179, pag. 1:

Ea de causa omnis terrae superficies: aer, et mare, et inprimis loca deserta, quin etiam singuli homines [8] a Diabolo et malis angelis inhabitantur. Praeter tartarum (v. annot. 23.) ipsa igitur terra et aer (ut et Paulus in ep. ad Ephes. 6, 12 diserte dicit,) Diaboli et malorum angelorum sedes est, minime vero geenna, ut vulgo putant, in quam demum die judicii poenae subeundae causa dejicientur (v. annott. 65 et 105.).

Qua Diaboli malorumque angelorum in terra praesentia non solum terra in universum corrupta est, sed Diaboli vis adeo valuit, ut discidium universae naturae ortum sit, omnibus rebus creatis in duas partes sibi contrarias discedenti-

---

יצר הרע, דאיהו אקרי מלך ושלט בעלמא. i. e. Concupiscentia mala [Satanas] nominatur rex et imperator mundi (Joh. 12, 31; 14, 30; 16, 11, cf. Ephes. 2, 2, et 2 Cor. 4, 4.).

[8] R. Bechai comment. ad Pentateuchum, Tom. I, par. Jethro, fol. 61, col. 4:

מן הידוע כי השדים ג' חלקים, יש מהם שוכנים באויר.......וי״ש מהם שוכנים בתהומות ים......

ויש מהם שוכנים בקרבנו. i. e. Scire debes, tria esse genera daemonum; sunt quidam, qui habitant in aere (cf. Ephes. 2, 2 et 6, 12.); sunt quidam, qui habitant in locis profundis maris (cf. Matth. 8, 32 etc.); et sunt quidam, qui habitant in nobis ipsis [daemoniacorum innumera exempla exhibent Evangelia]. — In desertis eos habitare probat Sohar, Tom. I. par. Chaie sarah, fol. 126, col. 1:

רוח מסאבא דשליט במדבר. i. e. Spiritus impurus imperat in deserto (cf. Matth. 12, 43 sqq.)

bus[9] (cf. annot. 35.). Una pars earum est, quae, Diaboli vi superatae atque in ejus potestatem redactae, a Deo abalienatae sunt, eique adversantur; altera pars earum, quae sollicitationi Diaboli resistentes Jehovae addictae et devinctae remanserunt, ac Diabolo adversantur. Pars illa Diabolo adjuncta ejus pravitate et corruptione infecta est, ac pars impura vel scelesta, pars

---

[9] Tikune Sohar, Tikun XVIII, fol. 136:
כגונא דאיהי מלכות קדישא, הכי איהי מלכות חייבא, כגונא דמילה, ערלה. דתמן סמאל ערל, ובת זוגיה ערלה, נחש, ואשת זנונים. i. e. Sicut est regnum sanctum, ita est regnum scelestum [impium, cf. Matth. **12**, 25 et 26; Apoc. **13**, 7 sqq., et Act. **26**, 18.], et sicut circumcisio [i. e. regnum circumcisorum), ita praeputium [i. e. regnum eorum, qui praeputio utuntur, cf. Ephes. **2**, 11]; ibi Sammael incircumcisus, et uxor ejus incircumcisa, anguis, mulier meretricia (c. Apoc. **17**, 1 sqq.; **19**, 2.).

Cf. Sohar, Tom. II, par. Eleh pekude, fol. 223, pag. 2:
דהאי עלמא איהו חולקא דסטרא אחרא. ועלמא דאתי איהו סטרא קדושא.......ותרין סטרין אלין קיימין דא לקבל דא, דא סטרא קדושא ודא סטרא אחרא דמסאבא. דא קיימא לצדיקיא, ודא קיימא לרשיעיא וכלא דא לקבל דא. זכאין אינון צדיקיא, דלית לון חולקה בהאי עלמא, אלא בעלמא דאתי. i. e. Hic mundus proprius est parti alteri [i. e. parti Diaboli]; mundus futurus vero est partis sanctae. Hae duae partes sibi oppositae sunt una alteri; illa est pars sancta, haec est pars altera, impura; illa est pars *justorum*, haec est pars *impiorum;* una alteri opposita est; felices sunt *justi*, qui partem non habent hujus mundi, sed mundi futuri.

sinistra, pars impiorum, vel per euphemismum tantummodo pars altera nominatur. Pars Jehovae fidelis meliorem a Deo ingeneratam naturam non omnino perdidit, sed divinae sanctitatis particeps est; ideoque pars pura vel sancta, pars dextera, pars piorum nuncupatur [10]. Pars Dei minor est, nam ab ea unus omnino populus Israelitarum stat. Pars Diaboli major est, nam omnes reliquae

---

[10] Sohar, Tom. I, par. Vajeza, fol. 163, pag. 2:
זכאה חולקהון דישראל, דאינון עלאין על עמין עובדי עבודה זרה, בגין דדרגא דלהון לעילא ודרגין דעמין עע״ז לתתא. אלין בסטרא דקדושא ואלין בסטרא דמסאבא; אלין לימינא, ואלין לשמאלא. i. e. Felix est sors Israelis [Israelitarum]; superiores sunt gentibus, quae cultum alienum colunt [quibus verbis idolatria significatur]. Gradus enim illorum superior est, et gradus gentium, quae alienos Deos colunt, inferior; illi sunt pars sancta (cf. 1 Petr. 2, 9; ἅγιοι, in innumeris N. T. locis.), hae sunt pars impura (cf. 1 Cor. 7, 14.); illi stant ad dexteram, hae ad sinistram (Matth. 25, 33 sqq.).

Sohar, Tom. III, par. Schmini, fol. 41, pag. 2:
זכאה חולקהון דישראל, דמלכא קדישא אתרעי בהו ובעי לדכאה להו, ולקדשא להו על כלא, בגין דאחידן ביה. תא חזי, כתיב: ישראל אשר בך אתפאר; אי קב״ה מתפאר בהו בישראל היך אתיין לאסתאבא, ולאתדבקא בסטרא מסאבא, ועל דא כתיב: והתקדשתם והייתם קדושים כי קדוש אני, ולא תשקצו את נפשותיכם. —

Et paullo inferius dicitur, fol. 42, pag. 1:
מאן דפלח לעבודה זרה נפיק מסטרא דחיי, נפיק מרשותא קדישא ועייל ברשותא אחרא.......ולא

septuaginta gentes terrae ab ea stant, quibus singulis, Diabolo summum imperium tenente, singuli mali angeli praesunt, quos gentes, varia eorum simulacra sibi fingentes, ut Deos colunt [11].

תשקצו את נפשותיכם ...בכל .....אשר הבדלתי לכם לטמא. מאי לטמא. לטמא לעמין ע״ז. דהא אינון מסאבין ומסטרא דמסאבא קא אתיין....... זכאין אינון ישראל, דקב״ה קאמר עלייהו והייתם קדושים כי קדוש אני יי׳. בגין דכתיב: ובו תדבק. וכתיב: לא עשה כן לכל גוי ומשפטים בל ידעום.

i. e. Felix est sors Israelis, rex sanctus gratos eos habet, et puros eos reddere vult, ac prae omnibus sanctos facere, quia ei adhaerent. Veni et vide. Scriptum est (Jes. **49**, 3.): Israel de quo glorior. Quodsi Sanctus de Israele gloriatur, quomodo ii se polluere possunt, atque adhaerere parti impurae? Quapropter scriptum est (3 Mos. **11**, 44 sqq.): Sanctos vos reddite, et este sancti, nam ego sum sanctus, neve animas vestras contaminate.

Contra: Qui cultum alienum observat [idola colit], exit e parte *viva* [ea est pars pura, quam qui sequitur, vitae futurae in regno Messiano particeps fit], exit e potestate sancta, et subit aliam potestatem [i. e. potestatem Diaboli] (cf. Act. **26**, 18.)..... Ac [dictum est): Ne contaminate animas vestras his omnibus, quae secrevi a vobis, ut polluant. Ut quid polluant? Ut polluant gentes idolatras, nam illae sunt impurae, et a parte impura veniunt. Felices sunt Israelitae, quod Sanctissimus de iis dixit: sancti estote, nam et ego sanctus sum; ideo scriptum est (5 Mos. **13**, 4.): Ei adhaere; et scriptum est (Ps. **147**, 20.): Non fecit ita ulli populo, et judicia sua eis non manifestavit.

[11] Tikune Sohar, Tikun VI, fol. 17, pag. 2. (ad Jesaiam c. **42**, v. 8):

אני יהוה הוא שמי, וכבודי לאחר לא אתן, ותהלתי

Parti purae cultoribusque Jehovae cum illa parte impura ac gentibus idololatris perpetuum est bellum; itaque Jehovae cultores, Dei populus, qui sunt minor pars, a ceteris terrae genti-

---

לפסילים. לאחר, דא אל אחר, דא סמאל. לפסילים,
אלין ממנן דעל ע' אומין.
i.e. Ego Jehovah est nomen meum, et majestatem meam alii non dabo, neque gloriam meam idolis. *Alii,* is est *Deus alter* (cf. 2 Cor. 4, 4.), is est Sammael. *Idolis,* ea sunt potestates, quae *septuaginta gentibus praesunt* (Ephes. 6, 12; conj. cum 1 Cor. 8, 5; 10, 20.).

Sohar, Tom. III, par. Vajikra, fol. 8, pag. 1.

מאי שנא באומות העולם: ויבא אלהים, ולישראל
לא. אלא דא הוא רזא דאלהים אחרים. ואית לך
למנדע, דשמו דקב"ה בלחודוי מלכא על כל
לעילא ולתתא. והיכלא קדישא דיליה באמצעיתא
אתתקן וסחרניה אית שבעין כתרין, ומניהון
אתמשכו ע' רברבין, ואתמנו על ע' עמין דעלמא.
למהוי כל חד וחד שליט על עמיה ועל ארעיה.
וקב"ה יהב לישראל רזא דשמיה בלחודיהון, והוא
שליט על ישראל וירושלים, ולית לעמא אחרא
חולקא בקב"ה.
i. e. Quid differt, quod de gentibus mundi dicitur: venit Elohim; de Israele vero non? Id est arcanum, quo significantur *Elohim acherim,* i. e. *Dii alii.* Est tibi sciendum: nomen Sanctissimi solum regem esse omnium, quae sunt supera et infera. Ac templum ejus sanctum in medio positum est, atque in circuitu ejus sunt septuaginta coronae, et *ex iis se extendunt septuaginta principes*, et *constituti sunt super septuaginta gentes mundi,* ut *dominentur in suas quisque gentes et suas terras* (cf. 1 Cor. 8, 5; Ephes. 6, 12.). Et Sanctissimus dedit soli Israeli arcanum nominis sui, et dominatur in Israelem et Hierosolymam, neque ulla alia gens particeps est Sanctissimi. [Illos *principes* gentibus praepositos Deumque

bus, impulsore Diabolo, omnibus modis opprimuntur et vexantur [12].

4. Orcus (ἅδης, שאול) est immensum quoddam spatium infra terram situm.

---

circumdantes, malos angelos esse, atque ex hac ipsa causa Kelipoth (putamina) nominari, demonstrabitur annot. 35.]

Maarecheth haelohuth, Schaar haadam, fol. 66, col. 3: והשרים האלה הם הנקראים אלהי העמים. i. e. Hi *principes* sunt, qui *nominantur Dii gentium.* — Atque item paullo inferius in col. 4: השרים נקראים אלהי נכר הארץ. i. e. Principes illi nominantur Dii externae terrae (5 Mos 31, 16; cf. 1 Cor. 10, 20; Apoc. 9, 20.).

[12] Emek hammelech, c. 4, Schaar Schaaschue hammelech, fol. 3, col. 1:
הוא כח סטרא אחרא......שעל ידו נולדה שנאה וקטטה בעולם ומלחמות האומות......וכל מגמתו ומחשבתו להרע לעם הקדש, ולקצץ האילן הקדש עם כל נטיעותיו, שנאמר: ואיבה אשית בינך ובין האשה, היא השכינה, ובין זרעה, שהוא זרע עם הקדש. וכח סטרא אחרא......הוא טבעו לשפוך דם במלחמה עצומה שיש לשרי המשחית עם מלאכי השכינה. i. e. Haec est vis partis alterius, quod per eam genita sunt odium et contentio in mundo, atque bella gentium. Atque omnia illius partis studia atque cogitationes sunt: malefacere populo sancto, atque decidere arborem sanctam cum omnibus ejus ramis [i. e. omnem partem puram delere]; ut dictum est (1 Mos. 3, 15.): inimicitiam faciam inter te [anguem, Diabolum] et mulierem, quae est majestas divina, et inter semen ejus, quod est semen populi sancti. Ac vis partis alterius atque ejus natura est: sanguinem effundere in bello valido, quod est

Superior orci regio habitatio est animarum a corporibus per mortem separatarum [13], solusque Deus in eam dominatur [14]. Animae, simulatque homines mortui sunt, in eam descendunt, ac ra-

---

principibus perniciei [malis angelis] cum angelis divinae majestatis. Haec de duobus Dei et Diaboli regnis sibi contrariis altero cum altero pugnantibus sententia multis N. T. locis inest, cf. Ephes. 6, 11, 12 sqq.; Apoc. 12, 7. 13; Col. 1, 21; Jac. 4, 4 etc.; 2 Thess. 1, 5, 6 sqq.; 2 Tim. 3, 12.).

13 R. Bechai comment. ad Pentat., par. Balak, fol. 19, col. 3: עולם הנשמות הוא הבא לאדם מיד תכף אחר הפרדה מן העולם הזה. וזוכין בו הישרים מיד לאחר מיתה. ובאחרית הזמן יזכו לעולם הבא, זה אחר התחיה, אותן שהם עתה בעולם הנשמות, כי העולם הבא שהוא אחר התחיה, הוא אחרית עולם הנשמות וסוף כל התענוגים. i. e. Mundus animarum is est, qui hominem manet statim post ejus separationem ab hoc mundo. Atque eo perveniunt justi statim post mortem (cf. Luc. 23, 43.). Posteriore vero tempore veniunt in mundum futurum, qui erit post resurrectionem, ii qui nunc sunt in mundo animarum. Nam mundus futurus, qui erit post resurrectionem, est post mundum animarum, et finis omnium felicitatum.

14 Sepher Jezirah, fol. 23, pag. 2: עשר ספירות בלימה, מדתן עשר שאין להם סוף: עומק ראשית עומק אחרית, עומק טוב ועומק רע, עומק רום ועומק תחת, עומק מזרח ועומק מערב, עומק צפון ועומק דרום. אדון יחיד, אל, מלך נאמן, מושל בכולם ממעון קדשו עד עדי עד. i. e. Decem sunt proprietates constrictionis [mundi]; numerus eorum decem, quibus non est finis: profunditas initii,

tione vitae transactae reddita [15], pro suis quaeque meritis aut bona aut mala conditione utuntur. Animae enim, per mortem a Diaboli potestate vindicatae, (Diabolum in animas nullum amplius dominatum exercere posse vidimus in annot. 5.) jam in integrum Dei imperium redeunt (v. annot. 14.). In hoc sancto imperio nihil impuri nihilque, quod a Diaboli parte ortum est, inesse sinitur. Quaecunque igitur anima in vita peracta

---

profunditas extremitatis; *profunditas bona, profunditas mala;* profunditas alta, profunditas inferna; profunditas orientis, profunditas occidentis; profunditas septentrionis, profunditas meridiei; *Dominus unicus, Deus, rex verus, dominatur in eas omnes ex habitaculo suo sancto in saecula saeculorum.* Quem locum commentarius ita explicat, fol. 25, pag. 1 infra:

עומק טוב, אפילו בגן ערן העומד חוץ לעולם הוא שולט. עומק רע, אפילו בגיהנם הוא מושל.

i. e. *Profunditas bona*, etiam in paradiso, qui est extra mundum, ille regnat; *profunditas mala, etiam* IN GEENNA *ille dominatur* (cf. Luc. 12, 5.).

[15] Sohar, Tom. I, par. Chaie sarah, fol. 130, pag. 2:

תא חזי. בשעתא דזמין בר נש למיהב חושבן בעברוי, עד לא יפוק מעלמא. ההוא יומא דחושבן איהו, דגופא ונשמתא יהבי חושבנא. לבתר נשמתא אתפרשא מניה, וגופא תב לארעא, וכלא תב לאתריה, דאתנסיב מתמן. עד זמנא דהקב״ה זמין לאחייא מיתיא כלא גניז קמית. וההוא גופא ממש וההוא נשמתא ממש זמין הקב״ה לאתבא לעלמא כמלקדמין, ולחדתא אנפי עלמא וההוא נשמתא ממש גניזא קמי קב״ה. ותבת

peccando se contaminavit impuritate Diaboli, priusquam in habitationem animarum recipi potest, purgari necesse habet. In quem finem superior illa orci regio in duas divisa est partes, alteram alteri exadverso sitam eique adjacentem, exiguo tantummodo spatio inter utramque interjecto [16]. Alteram purae animae inhabitant, altera purgandis impuris animis destinata est. Prior illa pars, quam גן עדן, paradisum, nuncupant, locus

---

לאתרה כפום ארחהא, כמה דאתמר: והרוח תשוב אל האלהים אשר נתנה. i. e. Veni et vide. *Illo momento temporis* filius hominis *rationem reddet* operum suorum, *antequam exit e mundo*. Ille dies dies est rationis reddendae, quo die corpus et anima rationem reddent (Hebr. **9**, 27.). Postea anima se ab eo [a corpore] sejungit; et corpus redit in terram, et unumquodque redit in suum locum, unde sumtum est; usque ad terminum illum, quem Sanctissimus constituit ut mortui reviviscant, omnia *apud se* reservat. Atque constituit Sanctissimus, ut hoc idem corpus verum, atque haec eadem anima vera in mundum redeat, ut sint, sicut antea fuerunt, ad renovandam faciem mundi. Et haec anima vera reservata est apud Sanctissimum. Atque ita redit [anima] in locum suum pro ratione sua, sicut dictum est: Et spiritus redibit ad Dominum, qui eum dedit (Ecclesiast. **12**, 7.).

[16] Jalkut Schimoni, Tom. II, Koheleth, fol. 186, col. 4: כל מה שברא הקב"ה, ברא כנגדו.... ברא גן עדן וברא גיהנם. וכמה ריוח יש ביניהם. ר' חנינא אמר, כותל רחבו טפח. i. e. Omnia, quae creavit Sanctissimus, creavit unum alteri ex adverso; creavit Paradisum et creavit Geennam; et quantum spatii inter eos interest? R. Chanina dixit: paries palmum lata (cf. Luc. **16**, 19 sqq.).

est amoenissimus, perpetua luce splendens, in quo animae manent, donec aliquando cum suis quaeque corporibus redivivis conjungantur [17]. Altera illa pars, quam geennam nominant, locus est horridissimus ac perpetuis tenebris obrutus, quibus ex parte tantum flammae rivi ignei lucem dant (v. infra annot. 22.), quum altera in parte sempiternae nives et grandines decidant [18]. Qui locus horridissimus continet animas impiorum

---

[17] Emek hammelech, cap. 54. Schaar Olam hattohu, fol. 32, col. 4:

הצדיקים הולכים בעולם הבא מחיצה אחר מחיצה, עד שזוכין לי״ג נהרי אפרסמא דכיא. והוא החיל האחרון. ויושבין שם בהיכל קדש הקדשים עד אחר התחיה.

i. e. Justi in mundo futuro (videlicet eo, qui statim post mortem est futurus] per gradus eunt, usque dum attingunt tredecim illa flumina balsami puri [quae sunt in paradiso]. Et hoc ultimum est intermurale [pronaos], ac sedent ibi in templo Sanctuarii usque ad resurrectionem.

[18] Jalkut Rubeni, fol. 3, col. 1:

השאול חציו אש, וחציו ברד.

i. e. Orci dimidium ignis est, ac dimidium glacies.

R. Bechai, comment. in Pentat., Tom. II, par. Korach, fol. 13, col. 4:

שאול הוא חציו ברד,....... והרשעים קופצים שם מאש לברד, ומברד לאש.

i. e. Dimidium orci est glacies, et impii saliunt ibi ex igne in glaciem et ex glacie in ignem.

Idem docet Jalkut Schimoni, Thillim, fol. 103, col. 4:

שנו רבותינו: משפט הרשעים בגיהנם שנים עשר חדש. ובמה הם נידונין. באש ובשלג. וכן אמר

hominum, i. e. gentilium sine cognitione Jehovae viventium, et malorum Israelitarum. Impii gentiles, i. e. idololatrae, ut qui corrigi non possunt, quia Diaboli partis toti fuerunt, ibi flammis funditus delentur et pereunt[19], id quod secunda

---

שלמה: לא תירא לביתה משלג, זהו גיהנם.

i. e. Didicerunt magistri nostri: poena impiorum in geenna duodecim mensium est; et qua re puniuntur? Igne et nive; et ideo dicit Salomo (Proverb. 31, 21.): Domus eorum nivem non timet; ea est geenna.

Sohar, Tom. I, par. Vajechi, fol. 238, col. 2:

דינא דחייביא בגיהנם תרי עסר ירחין, פלגא

מנייהו בחמה, ופלגא מנייהו בתלגא.

i. e. Poena impiorum in geenna duodecim mensium est, dimidium horum (12 mensium) in igne, ac dimidium in nive sunt. (Ad hoc duplex suppliciorum geennae genus fortasse referendum est dictum illud: ibi erit fletus et stridor dentium; Matth. 8, 12 et 13, 42; Luc. 13, 28. Opinionem hanc veteri ecclesiae notam fuisse docet Hieronym. in comment. ad Matth. 8, 12, et Job. 24, 19. Cujus haec sunt verba: Duplicem esse gehennam nimii ignis et frigoris in Job plenissime legimus. Et ibi in comment. ad eum locum dicit: Quasi duas geennas sanctus Job dicere mihi videtur: ignis et frigoris...... Et fortassis inde Dominus ait in Evangelio (Matth. 22, 13.): Mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium; ut hic stridor dentium de rigore frigoris oriatur).

[19] Talmud, tract. Sota. (Ajin Jaakof, Tom. II, fol. 78, col. 2.):

מה סיד אין לו תקנה אלא שריפה, אף אמות

העולם אין להם תקנה אלא שריפה.

i. e. Ut calci non correctio contingit, sed combustio, ita etiam gentibus mundi non correctio contingit, sed combustio. — Quem locum commentarius ita explicat:

mors (quam vocem interpretes librorum N. T. adhuc non plane perspexerunt), vel mors animae

---

שריפה גיהנם, שכל זמן שאין מתגיירין, והם קרויין עמים; אין חלקם אלא משריפות סיד. i. e. Combustio est geenna, nam quoad proselytae non fiunt, sed gentes nominantur, nulla sors eis contingit, nisi combustio calcis.

Idem dicitur Bamidbar rabba, fol. 212, col. 2, his verbis: לעתיד לבוא הם נכנסין לגיהנם, ועובדי כוכבים ומזלות נכנסין שם. ואלו הם נכנסין לתוכה ואובדים, וישראל יוצאין מתוכה בשלום, שנאמר: כי תלך במו אש לא תכוה. i. e. Tempore futuro [quo tempore hic quoque vitam animae statim post mortem peragendam significari patet] ipsi [Israelitae] in geennam introibunt, et cultores stellarum et planetarum illuc introibunt. Atque hi introibunt introrsus et *peribunt*, Israelitae vero exibunt foras integri, ut dictum est (Esai. **43**, 2.): Si in ignem introis, non combureris (cf. 1 Cor. 3, 15.).

Talmud, tract. Rosch haschana. (Ajin Jaakof, Tom. I, fol. 149, col. 2:

פושעי ישראל בגופן, ופושעי אומות העולם בגופן יורדין לגיהנם ונידונין בה שנים עשר חדש. לאחר שנים עשר חדש גופן כלה ונשמתן נשרפת, ורוח מפזרתן תחת כפות רגלי צדיקים, שנאמר: ועסותם רשעים, כי יהיה אפר תחת כפות רגליכם. i. e. Israelitae, qui corporibus suis deficiunt [i. e. qui legem ita despiciunt, ut ne in corpore quidem ejus praecepta observent], et gentes mundi corporibus suis deficientes [quae in Noachi praecepta de incestu etc. peccant] descendunt in geennam et ibi puniuntur duodecim menses. Post duodecim menses *corpus perit* et *anima comburitur* (Matth. **10**, 28; cf. Jac. **5**, 20.), et ventus dispergit eos sub pedes piorum, ut dictum est: calcabi-

nominatur [20]; contra mali Jehovae cultores, tantummodo maculati Diaboli impuritate, geennae

---

tis impios, nam pulvis erunt sub plantis pedum vestrorum (Malach. 3, 21.).

R. Bechai, in comment. ad Pentat., Tom. I, par. Chaje sarah, fol. 22, col. 4:

הרשעים אין להם תורה ולא חכמה, ואינן יודעין ומכירין מעשיו של הקב"ה, ונפלאותיו. והם מתים כמו מתים הבהמות והחיות. ונשמתן אובדת באבדן גופם. ומזה אמר שלמה ע"ה, ונר רשעים ידעך. כי המשיל נפש הרשע לנר, ובאר שהיא תלויה בגופו, כשם שאור הנר תלוי בשמן, ובכלות השמן ידעך.

i. e. *Impii* non habent *legem* nec sapientiam, [facile est intellectu, impiorum nomine hic gentiles significari,] neque sciunt et cognoscunt opera Sanctissimi, ejus res gestas miras [Jehovam Deum non agnoscunt]. Ac *mortui sunt*, ut *bestiae et animalia mortua* sunt. Et *anima eorum perit*, *quando corpus eorum perit*. Atque hoc est, quod dixit Salomo (Proverb. 13, 9.): Lux impiorum exstinguitur. Nam comparavit animam impii cum luce; quo explicavit, eam cum corpore cohaerere, ut flamma lucis cohaeret cum oleo, atque, ubi oleum consumtum est, exstinguitur.

Sohar, Tom. I, par. Vajera, fol. 107, Medrasch hanelam:

הרשעים של אומות עובדי עבודה זרה יורדים לגיהנם שלמטה, ושוב אינם עולים.

i. e. Impii ex gentibus idololatris descendunt in geennam; neque unquam rursus ascendunt.

[20] Pirke R. Elieser, c. 34, fol. 29:

כל גוי שיאמר שיש אלוה שני, אני אמיתהו במות שני, שאין בו תחיה.

i. e. Quisquis gentilium dicit alterum esse Deum, eum delebo morte *altera* [secunda], quae resurrectionem non habet.

igne exiguo temporis spatio ab illa impuritate purgantur [21], ut in alteram orci partem, paradisum, transire possint.

Targum Jonathan ad Esai. 22, 14. (Bibl. ed. Buxtorfii):
אם ישתבק חובא הדין לכון עד די תמותון מותא תנינא.
i. e. Non remittetur vobis poena judicii, donec moriemini *mortem secundam;* — id quod R. Kimchi in commentario ad hunc locum explicat his verbis:
רוצה לומר מיתת הנפש בעולם הבא.
i. e. Hoc dicendo significat *mortem animae* in mundo futuro.

Atque idem dicit Jarchi in comment. ad h. l.:
תרגום יונתן מותא תנינא בעולם הבא.
i. e. Jonathan id interpretatur de morte secunda in mundo futuro (cf. Apoc. 2, 11; 20, 6, 14; 21, 8; cf. Jac. 5, 20.).

Mundum futurum hoc loco non de regno Messiano, quod post resurrectionem futurum est, sed de ea vita, quam anima post mortem corporis in orco degit, quam vitae continuationem mundum animarum nominant (v. infra annot. 23.), interpretandum esse, jam ex ea re patet, quod in regno Messiano nulla amplius mors futura est (v. annot. 82.). Nomen mundi futuri infinitum est, cujus vis non nisi orationis contextu definitur. Ita hic, ut in annot. 18, vitam post mortem, plerumque regnum Messianum, atque interdum etiam tempus illud ignotum, quod post regnum Messianum futurum est, significat (v. annot. 90.).

[21] Sohar, Tom. III, par. Vajikra, fol. 16, pag. 2 (Raja mehimna):
ובמאי אתוקדון. באש דכרסייא, דאתמר ביה: כרסייה שביבין די נור, גלגלוהי נור דליק. ונהר דינור נגיד ונפיק מארבע חיון דאשא דסחרין לכורסייא דדין .... נשמתהון דצדיקיא טבלין

Ambabus partibus, geennae et paradiso, praepositus est *angelus* quidam, qui animarum rationes conficit. Sub eo multi alii sunt angeli, et paradisum et geennam custodientes, et poenas purgatorias in impios exercentes [22].

ומתרכין בידה. ונשמתהון דרשיעי נדונין בידה ואתבערו ואתעבידו קמיה כקש לפני אש. i. e. Quanam re comburuntur [impii]? Igne throni, de quo dictum est (Dan. 7, 9.): thronus ejus sunt scintillae ignis, ac rotae ejus ignes comburentes. Flumen illud ignis (Dinur) oritur atque exit e quatuor animalibus igneis, quae circumdant thronum judicii; animae piorum *immerguntur* et *purgantur* in eo (1 Cor. 3, 15.); animae impiorum puniuntur in eo et *comburuntur,* et fiunt coram eo, ut stipula coram igne (cf. Matth. 3, 12; Luc. 3, 17.).

Emek hammelech, Schaar Tikune hatteschuba, fol. 16, col. 4: מה שאמרו רבותינו ז"ל, משפט רשעים בגיהנם י"ב חדש, פירושו הוא...... מכניסין אותם בגיהנם, ושם עומדים י"ב חדש ומלבנן ומכבסין אותם כדי להוציא מהם כל כתמי הנשמה, כדי שיהיו מזומנים ומוכנים לכנס לגן עדן. i. e. Quod magistri nostri poenam impiorum duodecim mensium esse dixerunt, ejus est haec explicatio: Introducunt [angeli] eos in geennam, ibique manent duodecim menses; atque [igne] purgant et lavant eos ad eliciendas omnes sordes animae ex iis, ut sint praeparati et apti ad ineundum paradisum.

[22] Sohar, Tom. I, par. Chaje sarah, fol. 124, col. 2 (Medrasch hanelam):
מלאך ממונה על בתי קברי, ודומה שמו....... והופקדו בידו כל פנקסי הצדיקים השוכנים בעפר.... והוא עתיד להוציאם בחשבון.....ותאנה, אמר ר'

Inferior orci pars, infima universi regio, quam תהם, abyssum, nominant, ille est locus, in quem Diabolus ejusque angeli dejecti sunt[23], et ex quo in terram ascendunt, Deo et divino regno bellum inferentes.

שמואל ב"ר יעקב: נפשות הרשעים נתונות בידו של מלאך זה ששמו דומה להכנס בגיהנם ולדון שם.
i. e. ANGELUS praepositus est sepulcris, cujus nomen Dumah. Ac mandatae sunt manui ejus omnes tabellae piorum habitantium in pulvere. Atque ille eos reddet [in resurrectione mortuorum] secundum rationes. Ac discimus: Dixit R. Samuel, filius R. Jaakof: *animae* IMPIORUM *traduntur in manus istius angeli, cui nomen est Dumah, ut introducantur in geennam,* ibique puniantur.

Et Sohar, Tom. II, par. Thrumah, fol. 150, pag. 2:
שבעה פתחין אינון לגיהנם, ושבעה מדורין אינון תמן ...... ובכל מדורא ומדורא אית מלאך ממונא על ההוא אתר תחות ידא דדומה. וכמה אלף ורבוא עמיה דדיינין לון לחייבין.
i. e. Septem sunt portae geennae, et septem habitacula sunt ibidem .... Et in unoquoque habitaculo *angelus* est, qui praepositus est ei loco sub manu Dumae, et multa millia ac myriades [angelorum] apud eum, qui puniunt reos (cf. Matth. 13, 41, 42.).

[23] Sohar, Tom. III, par. Balak, fol: 201, pag 2, ad verba: aperuit os asinae (4 Mos. 22, 28.):
ורזא הכא דאתמסר לחכימו, פי האתון דרגא דאתני ההוא עלאה דסטר נוקבי. ההוא הוה דשריא על ההוא אתון ומליל עלה וכד ברא קב"ה לחאי דרגא דאקרי פי האתון סתם ליה בגו נוקבא דתהומא רבא ואסתים עליה עד ההוא זמנא.
i. e. Hic est arcanum, quod traditum est sapientibus. Os asi-

5. Geenna igitur purgatorium est, neque vero locus meri cruciatus, quo peccatores ad ulciscenda peccata affliguntur. Neque poenae aeternae sunt[24] (cf. annot. 19.). Item vidimus, geennam non esse sedem Diaboli malorumque angelorum; qui hoc putant, falso geennam cum abysso confundunt.

---

nae est gradus superior in parte muliebri [i. e. Satanae]. Is [Satanas] est, qui acquievit super asina illa [Bileami], et loquutus est ex ea. Postquam creavit Sanctissimus hunc gradum, qui nuncupatur os asinae, *inclusit eum in voraginem illius Abyssi magni*, et inclusit eum usque ad illud tempus [Bileami].

Sohar, Tom. II, par. Thrumah, fol. 163, pag. 2, (ad verba (Genes. **32**, 27.): Dimitte me, jam enim ascendit aurora).

כד חמא יעקב לסמאל מקטרגא בההוא ליליא, חמא ליה בההוא דיוקנא דעשו......ויאמר שלחני כי עלה השחר.....בגין דכד אתי צפרא ואתעבר שלטנו דחשוכא דליליא. כדין עאל איהו ואכלוסיה בנוקבא דתהומא רבא דלסטר צפון עד דעאל ליליא ואשתרו כלבי ושלטי ומשטטי בעלמא עד דאתי צפרא.

i. e. Quum videret Jacob Sammaelem Accusatorem [Diabolum] in illa nocte, vidit eum in specie Esavi. Et dixit [Sammael]: Dimitte me, jam enim ascendit aurora; nam quum venit tempus matutinum, ac praeterit regnum tenebrarum noctis, tum ille [Diabolus] et caterva ejus ineunt *in voraginem abyssi magni* in *regione septentrionali* (cf. Apoc. **9**, 11; **11**, 7; **17**, 8; **20**, 3.), dum redeat nox, et emittuntur canes [contemtim Daemones et Diabolus ita nominantur], et iterum dominantur et vagautur in mundo, donec lucescit.

[24] Cui sententiae minime contraria sunt vocabula, *κόλασις αἰώνιος*, *ὄλεθρος αἰώνιος*, *πῦρ αἰώνιον*. Etenim vocabulum *αἰωνίου* non nisi rem rem significat ad *τὸν αἰῶνα τὸν μέλλοντα*

6. Animarum illa vita in paradiso degenda nonnisi conditio media est (v. annot. 13.), neque igitur ipse finis, ob quem animae sunt creatae, qui non nisi regnum Messianum est (v. annot. 86.).

§. 12. Iste praesens universi status in hunc fere modum explicatur.

1. Deus fabricandi mundi initium fecit a creandis angelis[25] et eo quidem angelo, qui prae ceteris animantibus Deo proximus est, divinaeque naturae particeps[26]. Huic angelo nomen Messiae est[27], quia ultimis temporibus rex (Messias) Ju-

---

pertinentem. Verba igitur illa poenas significant, quae ἐν τῷ αἰῶνι τῷ μέλλοντι peccatoribus statutae sunt. Quum vero αἰὼν ille ipse finibus certis circumscriptus sit (solum mille annos durat, v. §. 16, 10. annot. 87.), etiam poenae ejus aeternae esse non possunt. Ita quoque sententiae illae Marc. 9, 44, 46, 48, explicandae sunt; nihil aliud enim significant, quam poenas per totum τὸν αἰῶνα τὸν μέλλοντα duraturas, minime vero poenas nunquam finem habituras.

[25] Sohar chadasch, par. Bereschith, fol. 7, col 1 infra (Medrasch hanelam):
בראשית כל הנבראים ברא השם יתברך צורות המלאכים הקדושים שהם תחלת כל הנבראים הנאצלים מזיו אור הדרו. i. e. Initio omnium rerum creatarum creavit Nomen illud, cui benedicatur [i. e. Jehova], figuras angelorum sanctorum, qui initium sunt omnium rerum creatarum, orginem ducentes a splendore lucis majestatis ejus.

[26] Cf., quae protulit Bertholdt in Christologia §. 9, annot. 5; §. 25, annot. 5; et De Wette bibl. Dogm., §. 156, annot. *i.*

[27] Taame hamizvoth, auctore R. Rekanati, fol. 6, pag. 1:

daeorum futurus est; qui Messias idcirco et Dei filius [28] et ipse Deus [29] nominatur. Hoc summo

---

מאחר שיש לנו נמצא ראשון, והוא מקבל השפע
הראשון מבלי מקום ידוע אך יש מאין, כר"א
והחכמה מאין תמצא, והוא האב הראשון, הוצרכו
לבקש הנמצא השני, והוא המקבל השפע הראשון
מהנמצא הראשון, שאי אפשר להמצא פעולה מבלי
מקבל שפע הפועל, ולכן נקרא משיח מפני ששפע
משחת קדש עליו.
i. e. Ubi habemus primum ens, quod primum influxum non ex loco quodam recipit, sed quod est ex nihilo, ut dicit scriptura (Job. 28, 12.): »sapientia ex nihilo exstat«, quae [sapientia] est *pater primus,* necesse est inveniatur ens secundum, quod recipit influxum primum ex ente primo, quia fieri non potest, ut sit effectus sine recepto influxu efficientis, ideoque nominatur Messias [unctus], quia ei inest influxus sancti unguenti.

28 Cf. Bertholdt. Christol. §. 9, annot. 4; et De Wette bibl. Dogm. §. 156 annot. *g* et *i.* Nomen hoc ex Ps. 2, 7, 89, 28, et similibus locis ortum esse, patet.

29 Cf. De Wette bibl. Dogm. §. 156 annot. *l* et *m.* Hunc dicendi morem, ut Messiae Dei nomen tribuant, equidem in libris rabbinicis adhuc reperire non potui; nisi hoc simile quiddam putandum est, quod versum (Jerem. 23, 6.): et vocant eum *Jehovam* [i. e. Deum] justitiam nostram, de Messia interpretantur, ex quo versu ille dicendi mos forsan exortus est.

Cf. R. Bechai commentar. in pentat., par. Thissa, fol. 82, col. 2, infra:

מצינו במלך המשיח שנקרא בשם המיוחד, שנאמר:
וזה שמו אשר יקראו יי' צדקנו....... וטעם הדבר,
כי הדבק בדבר נקרא על שם הדבר.
i. e. Invenimus, regem Messiam nominari *nomine unico (divino),* ut dictum est

angelo (Messia) Deus in fabricando mundo opifice usus est: Deus per filium mundum creavit [30].

(Jerem. 23, 6.): Id est nomen ejus, quo vocabunt eum: *Jehova* justitia nostra..... et causa hujus rei est, quod is, qui conjunctus est cum aliqua re, vocatur nomine ejus rei.

Hic locus ex Talmudo desumtus est, vid. Talmud, tract. Baba bathra, sect. 5. (Ajin Jaakof, Tom. II, fol. 131, col. 2.):
אמר רבה א״ר יוחנן: עתידין צדיקים שנקראו על
שמו של הקב״ה, שנאמר: כל הנקרא בשמי.......
א״ר שמואל בר נחמני א״ר יוחנן: ג׳ נקראו על
שמו של הקב״ה, ואלו הן צדיקים ומשיח
וירושלים. צדיקים הא דאמרן, משיח דכתיב: וזה
שמו אשר יקראו ה׳ צדקנו, ירושלים דכתיב: ושם
העיר מיום ה׳ שמה, אל תקרי ה׳ שמה אלא
ה׳ שמה.
i. e. Dixit Rabbah: dixit R. Jochanan: tempore futuro justi nominantur *nomine Sanctissimi*, ut dictum est (Jes. 43, 7): Omnis qui vocatur nomine meo...... Dixit R. Samuel, filius Nachmani: dixit R. Jochanan: tres nominantur *nomine Sanctissimi*, et ii sunt: justi, et *Messias*, et Hierosolyma. *Justi*, ut supra dictum est. *Messias*, nam scriptum est (Jerem. 23, 6.): et id est nomen ejus, quo vocatur: *Jehovah* justitia nostra. *Hierosolyma*, ut scriptum est (Ezech. 48, 35.): Et nomen urbis erit ex illo die: Jehovah sch'mah; ne lege ה׳ שָׁמָּה, i. e. Jehovah ibidem, sed ה׳ שְׁמָהּ, i. e. Jehovah est nomen ejus.

Sed hoc loco magistri talmudici, quum nomen Jehovae etiam piis atque adeo Hierosolymae dare studeant, divinum nomen Messiae inditum magis attenuare, quam in altiorem sensum efferre voluisse videntur.

[30] Cf. De Wette bibl. Dogm., §. 156. Ne hanc quidem doctrinam in libris rabbinicis adhuc reperire potui. Quae vulgo ad eam comprobandam e libris rabbinicis proferuntur, accuratius

2. Praeter hunc summum angelum Deus plures alios angelos superiores creavit, — vulgo septem Archangelos numerant, — qui sunt singulae vires divinae singulis corporibus inclusae (corporatae), ideoque saepe qualitates nominantur [31]; atque innumeros insuper angelos inferiores, qui angeli ministrantes nominantur, quia ministerio Dei et cultorum ejus destinati sunt.

---

inquisita eam non spectant. Illum inprimis locum dico, in quo verba Genesos (1, 2.): Spiritus Dei ferebatur super aquas, de Messia explicantur. Qui locus primitus ex Medrasch Rabboth (Bereschith rabba, par. 2, fol. 5, col. 2, supra) desumtus est, ubi ita scriptus est: ורוח אלהים מרחפת על פני המים זו רוחו של מלך המשיח. Quae verba plane aliam, ac vulgo putant, sententiam habent. Namque pars sunt fusioris explicationis quae historiam mundi creati allegorice in liberationem futuram populi Israelitici transfert, quippe Resch Lakisch docet, quamlibet rem in creatione mundi per Deum gestam typum esse rei in futura liberatione populi Israelitici per Messiam gerendae. Itaque verba illa nullam aliam vim habent, atque hanc: *Spiritus Dei, qui ferebatur super aquas,* ut qui in creando mundo efficax fuit, *significat,* ratione videlicet futurae liberationis habita, *Spiritum Messiae,* qui in perficienda illa liberatione praecipue efficacem se exhibebit (cf. annot. 86.).

[31] Ita saepius memoratur in libris Rabbinicis *qualitas judicii,* cf. Bereschith rabba, seder Bereschith, par. 8, fol. 10, col. 1: ובשעה שבא הקב״ה לבראת את אדם הראשון נמלך במלאכי השרת ואמר להן: נעשה אדם בצלמנו כדמותנו. אמרו לו: אדם זה מה טיבו. אמר להן: צדיקים עומדים ממנו......גילה להם שהצדיקים עומדים ממנו ולא גילה להם שהרשעים עומדים ממנו. שאלו גילה, שהרשעים עומדים

3. Angelis creatis, Deus terram fabricatus est; hominesque formavit, ut terram habitarent, et in eam dominarentur; atque eos in regione amoenissima, in paradiso terrestri, collocavit, ut summa felicitate fruerentur.

4. Quam dignitatem homini invidens, unus ex angelis superioribus non paucos ceterorum angelorum hoc nomine Deo infensos reddidit, et cum

---

ממנו, לא היתה מדת הדין נותנת שיברא. א״ר סימון: בשעה שבא הקב״ה לבראת אדם הראשון עשו מלאכי השרת כיתים וחבורות חבורות, מהם אומרים: אל יברא. הה״ד: חסד ואמת נפגשו, צדק ושלום נשקו. חסד אמר: יברא שהוא גומל חסדים, ואמת אמר: אל יברא שכולו שקרים. צדק אמר: יברא, שהוא עושה צדקות. שלום אמר: אל יברא, דכוליה קטטה. i.e. Eo tempore, quum Sanctissimus in eo esset, ut primum hominem crearet, cum *angelis ministerii* deliberavit. Dixit eis: faciamus hominem ad imaginem nostram secundum similitudinem nostram. Dixerunt ei: Hujus hominis quae est bonitas? Dixit iis: pii ex eo orientur. Patefecit iis, pios ex eo orituros esse, nec vero iis patefecit, impios ex eo orituros esse. Nam si iis patefecisset, impios ex eo orituros esse, *qualitas* [*Angelus*] *judicii* non permissiset, ut crearetur. Dixit R. Simon, eo tempore, quo [Sanctissimus] primum hominem creaturus erat, *angeli ministerii* coetus et conventus fecerunt; quibusdam dicentibus: Ne creetur. Id est, de quo scriptum (Ps 85, 11.): Benignitas et veritas sibi obviam venerunt, justitia et pax se osculantur. *Benignitas* dixit: Creetur, nam bona opera retribuet. Ac *veritas* dixit: Ne creetur, nam plenus erit mendaciorum. *Justitia* dixit: Creetur, nam justitiam exercebit. *Pax* dixit: Ne creetur, nam plenus erit contentionis.

eis concilium cepit, hominem Dei benevolentia fraudare, sollicitando eum, ut obedientiam Deo debitam abjiceret. Id quod ei speciem serpentis prae se ferenti optime successit, quippe qui homines ad violanda Dei jussa impulerit.

5. Qua violatione divinorum praeceptorum homo ad Diaboli partes se transtulit, atque a Deo defecit. Quocirca una cum Diabolo a Deo est repudiatus et punitus. Diabolus enim ob id scelus cum angelis ab eo stantibus coelo expulsus atque in tartarum dejectus est, homines autem, ē paradiso exacti, ad degendam vitam molestissimam condemnati sunt. Hic est lapsus primorum hominum [32].

---

[32] Sepher habahir, fol. 10, col. 4 in med. (eundem locum excerptum invenis in libro Sohar, Tom. I, in additamentis, fol. 13, pag. 2):

סמאל הרשע קשר עם צבאות מעלה על רבו, משום דאמר הקב"ה: ורדו וג'. אמר: היאך אוכל להחטיאו ולגרשו מלפניו. ירד עם כל חיילותיו ובקש לו בארץ חבר כמותו. ומצא נחש. והיה לו דמות גמל, רכב עליו, ובא לו אצל האשה...... אמר לה: אף כי אמר אלהים לא תאכלו מכל עץ הגן. אמר: אבקש יותר ואוסיף, כדי שתגרע היא. אמרה: לא מנענו אלא מעץ הדעת, אשר בתוך הגן. אמר אלהים לא תאכלו ממנו ולא תגעו בו, פן תמותון. (והוסיפה ב' דברים, אמרה: מפרי העץ אשר בתוך הגן אמר אלהים לא תאכלו. ולא נאמר לה אלא מעץ הדעת. ואמרה: לא תגעו פן תמותון.) מה עשה סמאל הרשע. הלך

6. Quo primorum hominum lapsu non solum ipsorum, sed etiam universae terrae conditio in deterius mutata est.

ונגע באילן.........הלך ואמר לאשה: הרי נגעתי באילן ולא מתי. אף את תגעי באילן ולא תמותי. הלכה האשה ונגעה באילן וראתה מלאך המות בא כנגדה. אמרה: אולי עכשיו אני מתה והקב"ה עושה לו אשה אחרת, ונותנה לאדם. אלא הריני גורמת לו שיאכל עמי, אם נמות נמות שנינו, ואם נחיה נחיה שנינו. ולקחה מפריו ונתנה גם לבעלה. נתפקחו עיני שניהם וקהו שיניו. אמר לה: מהו זה שהאכלתני שקהו שיני, כך קהו שיני כל הבריות......ישב לו בדין אמת.....הביא שלשתן, וגזר עליהן גזרות דין, תשעה קללות ומות. והפיל סמאל ואת הכת שלו ממקום קדושתן מן השמים.

i. e. Sammael ille impius se conjunxit cum agminibus superis contra dominum suum, propterea quod Sanctissimus dixit: (Gen. 1, 28.): Dominamini etc. Dixit: quomodo efficere possum, ut peccet [homo] atque ab eo [a Domino] repudietur? Et exiit cum omnibus agminibus, ac quaesivit sibi socium in terra sui parem. Atque invenit anguem (cf. 2 Cor. 11, 3 conj. cum Apoc. 20, 2.). Et habebat illa speciem cameli, et equitavit in ea, et ivit cum ea ad mulierem. Dixit ei: Dixitne Dominus, ne edite de ulla arbore Paradisi. Cogitabat: Plus quaeram atque addam, ut ea diminuat. Dixit illa: Non vetuit nos [edere] nisi de arbore sapientiae, quae est in medio horto; dixit Dominus: ne edite de ea, neve eam attingite, ut ne moriamini. (Atque addidit [mulier] duas res, dixit enim: de fructu arboris, quae est in medio horto, Dominus dixit: ne edite; sed ei non dictum erat [a Deo] nisi de arbore sapientiae [ne edite]; tum ea [mulier dixit: ne attingite, ut ne moriamini. —) Quid fecit Sammael ille impius? Ivit et attigit illam [i. e. arborem]. Venit

Nam Diaboli in terra praesentia omnes res, quae a Deo bonae et integrae erant creatae, maculatae et depravatae ac magnam partem omnino

---

et dixit mulieri: Ecce, attigi illam, nec mortuus sum; etiam tu attinge illam, neque morieris. Ivit mulier et attigit illam, et vidit angelum mortis venientem ad se. Dixit [mulier]: Vae, nunc ego moriar, et Sanctissimus aliam faciet mulierem et dabit eam Adamo! At ei causa esse volo, ut edat mecum; si morimur, morimur ambo, si vivimus vivimus ambo. Ac sumsit de fructu et dedit etiam marito. [Aliam hujus fructus vetiti interpretationem v. annot. 35.] Atque utrique oculi aperti sunt redditi, dentes obtusi. Dixit [Adam] ei: Ex ea re quam edere me jussisti, obtusi sunt dentes mei, etiam dentes omnium animantium obtusi sunt.... Ac [Dominus] consedit ad judicium veritatis..... et illos tres adduci jussit, ac decrevit decreta damnationis, novem imprecationes et mortem. Ac dejecit Sammaelem et ejus sectam e loco sancto, e coelo (cf. Luc. 10, 18; 2 Petr. 2, 4; Jud. 6.).

Cf. Jalkut Schimoni, par. Bereschith, fol. 8, col. 3:

אמרו מלאכי חשרת לפני הקב"ה: מה אדם ותדעהו, אדם להבל דמה. אמר להם מה שועתם, כולכם מקלסין אותי בעליונה, הוא מיחד שמי בתחתונה. ולא עוד אלא שקורא שמות. וכיון שראו כן, אמרו: אם אין אנו באין בעצה שיחטא לפני בוראו, אין אנו יכולין לו. והיה סמאל שר גדול בשמים. החיות מארבע כנפים, ושרפים משש כנפים, וסמאל משתים עשרה. מה עשה סמאל. לקח כת שלו וירד. וראה כל הבריות ולא מצא בהם חכם להרע כנחש.

i. e. Dixerunt angeli ministerii coram Sanctissimo: Quis est homo, ut ejus memineris? homo halitui similis est. Dixit eis [Sanctissimus]: Quid loquimini? Vos omnes me laudatis superne, ille nomini meo infra se adjunget. Neque hoc tantummodo, sed nomina imponet [rebus creatis]. Post-

impurae factae sunt [33]. Et ipse homo, quia lapsu suo se in Diaboli potestatem contulit, ejus vi omnibus modis est corruptus. Nam tunc primum Diaboli vi mortalis est factus (cf. annot. 5.), ideoque primus homo generi humano auctor est mortis [34]. Opera et labore indefesso Diaboli, perpetuo adversus Deum machinantis, illud universae naturae discidium factum est; quum res et animantia, quae ab ejus partibus stant, in Deum omniaque, quae Deo fidelia permanserunt, infensissima sint. Ita major pars hominum inde a creato genere humano Dei partes deseruit. Deo semper pauci tantum addicti fuerunt; prioribus aetatibus

---

quam viderunt, ita [id se habere], dixerunt: Nisi consilium capimus, ut peccet coram creatore suo, ei nihil [inferre] possumus. Et erat Sammael princeps magnus in coelis; animalia [sancta] quatuor habebant alas, Seraphim sex habebant, et Sammael duodecim. Quid fecit Sammael? Sumsit agmen suum ac descendit. Et vidit omnia animantia, neque invenit inter ea sapiens ullum ad malum [faciendum] nisi anguem, etc. [Reliqua ut in loco praecedente.]

[33] Bereschith rabba, seder Bereschith, par. 12, fol. 14, col. 4: אף על פי שנבראו הדברים על מליאתן, כיון שחטא אדם הראשון נתקלקלו, ועוד אינן חוזרין לתיקונן עד שיבא בן פרץ. i. e. Etsi creatae sunt res perfectae, tamen quia peccavit primus homo, corruptae sunt, neque prius in restaurationem redeunt, quam veniet filius Perez [i. e. Messias, qui a Perez genus ducit]. (cf. Apoc. 11, 18; Rom. 5, 19.).

[34] R. Bechai in comment. ad Pentat., Tom. II, par. Vaethchanan, fol. 29, col. 2:

una familia patriarcharum, tum unus populus Israel. Ceterae septuaginta gentes terrae Dei numen non agnoverunt neque coluerunt, sed Diabolo deditae erant, ita ut singulis gentibus singuli ex septuaginta malis angelis praeessent, qui earum Dii nominantur. Ita Diabolus, multo majori hominum numero imperans, revera dominus terrarum, rex hujus mundi est. Quum vero Diabolus acerrimus esset Dei adversarius, gentes quoque Diabolo deditae populum Dei, Israelitas, omnibus modis vexarent, atque ubicunque poterant opprimerent, necesse erat. Ex qua cogitatione acre illud Judaeorum in gentes odium ortum est.

§. 13. Haec rerum creatarum corruptio ex parte quidem, quatenus ad animam pertinet, statim post hominis mortem corrigitur in geenna, in qua omnes sordes, quibus Diabolus animam contaminavit, delentur. Sed universam quoque terrae corruptelam totumque Diaboli in eam dominium delere aliquando, Deus statim post hominum lapsum decrevit, ipsum filium ad perficiendam hanc mundi populique Dei e Diaboli imperio liberationem destinans. Cui voci liberationis haec est tribuenda vis: tempus futurum esse, quo, Diabolo per filium Dei victo ac mundo

---

אדם הראשון גרם מיתה לכל תולדותיו.
i. e. Primus homo causa fuit mortis omnibus posteris suis (cf. Rom. 5, 12; 1 Cor. 15, 21.).

in pristinum statum restituto, omnes Dei cultores sub ipsius filii regno ea felicitate fruituri essent, cujus jacturam primi homines a Deo deficientes fecissent. Quod liberandi mundi consilium verbis Geneseos (c. 3, v. 16.) subjiciunt[35].

---

[35] Emek hammelech, cap. 62, Schaar Olam hattohu, fol. 23, col. 3:

שאמר הפסוק: הוא ישופך ראש. מאחר שעל ידי חטא אדם הראשון נתהוו הקליפות בפועל וסטרא אחרא בפועל, ונולדה קטטה בעולם. והקליפה רצתה לינק מן הקדושה, ואינה שלטת כי אם בעקב של הקדושה, בסוד ידיעת הטומאה: וידע אדם את חוה. שכב עמה נדה בימי החול, וקלקל העקב הזה, שהיה מקדם כתנת אור פרכת ומלבוש הקדושה ומצד החיצונים נקרא כתנות עור, אותיות ורע. עץ הדעת טוב ורע אשר צוה אלהים, שלא לאכל ממנו, ולא לערב טוב ברע. קודם שחטא היתה טוב לבד ורע לבד לכן צריך על ידי מיתה ברור אחר חדש. וחשק העקב הזה להנצל בקדושה, והקדושה רצונה להסיר ניצוצית הקדושה הבלועים בראש הקליפות. רע ראש עקב. על כן אתה תשופנו עקב בזמן הגלות, והוא ישופך ראש, ראש הקליפה, בזמן הגאלה.

i. e. Dicit scriptura: Ille caput tibi conculcabit. Per peccatum primi hominis putamina [ita nominantur mali angeli, vide infra] perducta sunt in efficaciam, ac pars altera in efficaciam [perducta est], atque ortum est dissidium [illud, de quo supra disseruimus, vide annot. 9] in mundo. Atque est studium putaminis, ut e sanctitate sucum trahat (i. e. pars impura vires sibi, ut durare possit, necessarias nonnisi e parte pura sumere potest, ejusque quasi vires sugit]; nec tamen ullum in eam [partem pu-

§. 14. Interea Deus remedia paravit, ad coercendum saltem Diaboli imperium.

1. Diluvium Deus in terram immisit, quo omnes Diaboli cultores perierunt et solus Dei cultor (Noachus) superstes fuit. Postquam diluvium hoc defluxerat, Deus cum Noacho pactum fecit (foedus icit), quo ei promisit, non solum

---

ram] habet dominium, nisi per *calcem* sanctae partis. [Hoc vero intelligendum est] per arcanum impurae cognitionis [concubitus, ut dictum est]: cognovit Adamus Evam; etenim concubuit ei, quum separata esset [propter impuritatem menstruam], atque die profesto [i. e. eo ipso sexto die, quo creatus erat, neque noctem septimi diei, sancti Sabbathi, exspectavit, ut in quo omnia fuissent pura] ac corrupit ita illam *calcem* [jam igitur patet partes viriles hoc verbo intelligi]. Nam antea ei erat indusium lucis (אור), velum ac vestimentum sanctum [i. e. praeputium erat purum sanctumque]. Propter externa autem [i. e. propter putamina, nam utrumque verbum idem valet v. infra] nominatur [praeputium] indusium cutis (עור), in quo verbo insunt litterae רע [i. e. nomen Diaboli: *Malus*]. [Id est arcanum] de arbore cognitionis boni et mali, de qua Deus vetuerat, ne edite de ea, neve commiscete bonum cum malo; nam antequam homo peccaverat, bonum erat separatum, et malum erat separatum, ideoque necesse est, ut per mortem nova expurgatio fiat. Ac studium illius *calcis* est, ut se conservet per sanctitatem [partem sanctam], ac sanctitatis voluntas est, scintillas sanctitatis, quae per caput putaminum absorptae sunt, eruere. Malus est illud caput calcis [i. e. Diabolus est caput et auctor malae concupiscentiae]. — Ideo [dictum est]: Tu ei in calcem feries, tempori exilii [i. e. hoc praesenti tempore, quo Judaei in exilio vivunt], *et ille conteret tibi caput, caput corticum* [i. e. principem malorum angelorum, Dia-

hunc mundum incolumem permansurum esse, sed etiam futurum illum mundum ac regnum Messiae cultoribus Dei servatum iri. Cujus pacti (foederis) ac promissionis signum Deus arcum coelestem constituit [36].

---

bolum] *tempore liberationis* [i. e. tempore futuro, quum Messias populum suum liberabit e Diaboli imperio, Diabolumque devincet].

Quomodo vero mali angeli *externa putamina* nominari possint, ita intelligitur. Malos illos 70 angelos thronum Dei circumdare jam supra (annot. 12.) didicimus. Quam rem magistri cabbalistici ita sibi fingunt animo, ut eos circa Deum quasi orbem volvere putent, qui divino numini ad exercendam vim suam ante omnia sit superandus et quasi perrumpendus, quod ad attenuandam Dei vim valere. Uti igitur, si magnis parva componere licet, nucleus a putamine est inclusus, ita Deum a malis illis angelis circumdatum sibi cogitant, ideoque malos angelos putamina nominant. Jalkut Rubeni, par. Vajeschef, fol. 65, col. 1:

שבעים שרים ממונים על שבעים אומות........ סובבים חוץ לכסא הכבוד, והם נקראים סוד הקליפה,........ וכולם נקראו קליפות החיצוניות.

i. e. Septuaginta principes dominantes in septuaginta gentes, qui circumdant extrinsecus thronum majestatis, ii sunt, qui nominantur arcanum putaminis,..... nam omnes nominantur putamina externa.

[36] Sohar, Tom. I, par. Noach, fol. 72, pag. 2:

לא תצפי לרגלי דמשיחא עד דיתחזי האי קשת בעלמא מתקשטא בגווני נהורין ויתנהיר לעלמא, וכדין צפי ליה למשיחא. מנלן. דכתיב: וראיתיה לזכור ברית עולם. והשתא דאתחזיה בגוונין

2. Tum Deus inter Noachi progeniem Abrahamum elegit, qui verum Dei cultum propagaret. In quem finem cum hoc quoque pactum (foedus) fecit[37], ea conditione, ut Abrahamus ejusque progenies Deum colerent, Deique populus essent (adoptio, conditio filiorum Rom. 9, 4); pro qua fide Deus et ipsi et posteris ejus non solum pos-

---

חשוכין מתחויא לדוכרנא דלא ייתי מבול. אבל בההוא זמנא אתחזייה בגווני נהירין, ומתקשטא בתקונא ככלה דמתקשטא לבעלה, ובדין לזכור ברית עולם וידכר קב״ה להאי ברית דאיהי בגלותא ויקום לה מעפרא. i.e. Ne exspecta pedes Messiae priusquam spectabitur in mundo arcus (coelestis) ornatus coloribus splendentibus; quum hic splendebit in mundo, tum exspecta Messiam. Unde hoc accepimus? Quia scriptum est: Videbo eum ad recordandum foedus aeternum. *Nunc quidem, quum spectatur coloribus obscuratis [praeditus], monimentum est ad recordandum: diluvium non rediturum esse;* sed illo tempore, quo spectabitur splendidis coloribus ornatus ut sponsa, quae sponso se ornat, tum hoc erit ad recordandum foedus aeternum. Ac recordabitur Sanctissimus illud foedus, quod nunc est in exilio, atque illud eriget e pulvere (cf. annot. 58.).

[37] Bereschith rabba, seder Lechlecha, par. 44, fol. 49, col. 3 (ad locum Gen. 15, 18 sqq.: ביום ההוא כרת יי' את אברם ברית, לאמר וג'. i. e. Illo die fecit Dominus foedus cum Abr., etc.):

ר' עקיבא אמר: אחד העולם הזה, ואחד העולם הבא גלה לו. i. e. R. Akiva dixit: Et hunc mundum et futurum ei revelavit; — ad quem locum commentarius dicit:

עולם הבא פירש ימות המשיח. i. e. Mundus futurus

sessionem Palaestinae, sed etiam hereditatem feli-

---

sunt dies Messiae. (Eundem sensum huic loco Paulus subjicit Rom. 3, 13, 14; cf. Hebr. 9, 15; 1 Petr. 1, 4; Ephes. 1, 14.).

Hoc nonnisi allegorica hujus loci interpretatione probari posse, patet; qualem exhibet Sepher Mephoar, fol. 10, col. 4: ביום ההוא כרת יי' את אברם ברית לאמר: לזרעך נתתי את הארץ הזאת מנהר מצרים עד נהר הגדל, נהר פרת: את הקיני, ואת הקנזי, ואת הקדמני, ואת החתי, ואת הפרזי, ואת הרפאים ואת האמרי, ואת הכנעני, ואת הגרגשי, ואת היבוסי. ודע כי מאלו עשר ארצות לא נחלו ישראל כי אם ששה: כנעני, חתי, אמורי, פרזי, חוי, יבוסי. ונשארו ארבע מהם שלא ירשו....... והנה בהבטחת הקב"ה לאברהם לא תמצא חוי. דע כי שם חוי הוא הנחש, כתרגומו חויה, להודיענו כי בסבת ארסיות וזוהמת הנחש הקדמוני לא ירשו ישראל כל עשרה ארצות כולם. ולא שנה הכתוב שמות כל הארצות אלא חוי, כי שלשה ארצות נרמזות בו שהם חוי, גרגשי, ורפאים; להודיענו כי החוי שהוא הנחש עתיד להיות נגרש מן העולם, ויבא אחריו רפאים לרמוז שעתיד הקב"ה לרפא את העולם מזוהמתו ומארסיותו הממית, באופן כי בזמן שהחוי יהיה גרגשי, אז יבא רפאים, יבא רפואה לעולם, וימלא הארץ דעה את יי'.......ובסבת שזוהמת החוי עתידה להיות מגורשת, לכן ברח מכאן הגרגשי ויבא רפאים, וקיני, וקנזי, וקדמני, לאמר שישובו ישראל מקדם לגן עדן עם קדמונו של עולם.......כי אדם הראשון נגרש מן המקום ההוא בעבור הנחש.......באופן שכשיגרש הקב"ה את הנחש, שהוא הגרגשי, ישכון הארם, שתם

cissimi illius temporis, quo filius (Messias) in terra

ישראל, בקדם ואז ישובו לארצם. i. e. Illo die fecit Dominus foedus cum Abrahamo, dicens: Semini tuo dabo hanc terram a fluvio Aegypti usque ad fluvium magnum, fluvium Euphratem: Kenaeos, et Kenisaeos, et Kadmonaeos, et Hethaeos, et Pheresaeos, et Rephaeos, et Amoraeos, et Cananaeos, et Gergesaeos, et Jebusaeos (Gen. 15, 18 — 21.). Scito: Ex his decem terris Israelitae non nisi his sex potiti sunt: Cananaeis, Hethaeis, Amoraeis, Pheresaeis, *Hevaeis*, Jebusaeis (2 Mos. 3, 8.); ac reliquae sunt quatuor, quarum non compotes facti sunt. Ecce in promissione a Sanctissimo Abrahamo data (Gen. 15, 18 — 21) non invenies *Hevaeos* (posteriore loco 2 Mos. 3, 8. memoratos). Scito, *Chevi* (Hevaeos) ibi significare anguem [Diabolum], quae [chaldaice] redditur *Chivja*, ut indicetur nobis, propter venenum et sordes anguis veteris [Diaboli] Israelem non omnes decem terras occupasse. Neque variat scriptura in nominibus terrarum nisi in nomine *Chevi* (Hevaeorum). Tria autem nomina terrarum arcana indicia includunt, quae sunt: Chevi (Hevaei), Rephai (Rephaei), et Girgaschi (Gergesaei), ut indicetur nobis: olim Chevi, quae est anguis, e mundo *expulsum iri* (garasch); tum sequuntur *Rephaim* (Rephaei), ut indicetur: olim Sanctissimum medicaturum esse (rapha) mundo a veneno et sordibus Mortis [i. e. Diaboli, cf. annot. 6.] hoc modo, ut si *Chevi* (Chivja, anguis) erit expulsa (girgaschi), tum venturi sint Rephaim [i. e. salus, medicamentum] vel ventura sit sanatio [rephua]; nam terra plena erit cognitionis Domini. [Hisce verbis superationem Diaboli per Messiam, atque illum statum terrae felicem sub regno Messiae significari, patet; vox illa sanationis e Ps. 147, v. 3 repetita aliis quoque locis de mundo sub regno Messiae in integrum statum redacto explicatur, ex. gr. Emek hammelech, par. Schaar olam hattohu, fol. 42, col. 4.] Et propterea quod venenum *Chevi* [i. e. anguis, Chivjae] olim expelletur (garasch), ideo deest hic

regnaret, spopondit. Hujus pacti (foederis) signum circumcisio (Act. 7, 8.) [38].

Etiam ceteris Patriarchis, Isaaco et Jacobo, Deus promissiones Abrahamo datas repetiit, pac-

---

(2 Mos. 3, 8.) *Girgaschi,* et sequuntur Rephaim, et Keni, et Kenisi, et *Kadmoni;* ut demonstretur Israelitas redituros esse orientem versus *(Kedem)* in paradisum cum eo, qui prior (kadmoni) erat mundo [i. e. Messia]. Nam homo primus expulsus est ex illo loco propter anguem; itaque, ubi Sanctissimus anguem expulerit, id quod significatur voce Girgaschi (ut supra dictum), habitabit homo, qui est Israel, in *oriente;* ac tum habitabunt (Israelitae) in sua terra. [Nomina Girgaschi, Rephaim et Kadmoni ita quidem explicata sunt, sed nomina Keni et Kenisi non explicata relinquuntur.]

[38] Quo modo circumcisio non solum monimentum illius foederis, sed etiam efficacissimum adjumentum sit ad malam partem attenuandam Deique regnum adjuvandum, ita explicant magistri cabbalistici: Angelos malae partis divinum numen quasi putamine quodam circumdare, ejusque vim in terram et praesertim in Israelem attenuare (v. annot. 35 in fine.). Simul praeputium vi malae partis esse exortum (v. eand. annot. 35.). Ideo inter praeputium ac malam partem vinculum quoddam conjunctionis et necessitatis exstare; quare mala pars ipsa praeputium nominatur (v. annot. 9.). Abscindendo igitur praeputio non solum vim malae partis in hominem circumcisum, sed etiam impedimenta divinae efficientiae a putamine illo, malis illis angelis Deum circumdantibus, allata imminui atque extenuari.

Cf. Jalkut Rubeni, par. Lech lecha, fol. 36, col. 4 (sect. quae incipit verbo נע, infra):

הקב"ה אמר לאברהם: בני התהלך לפני והיה

tumque cum Abrahamo factum cum iis renovavit.

Hoc est pactum (foedus) illud Dei cum Abrahamo patribusque factum, et hae illae promissio-

---

תמים. אמר לפניו: רבש"ע היאך אעמוד לפניך תמים. א"ל: בשעה שתכרות ברית היינו ערלה שבגופך, שהיא חלק ערלים. ולכך אמר דוד ד' פעמים: בשם יהוה כי אמילם, כלומר כמו שברית מילה אדם כורת הערלה כן בשם ה' אכרות ערל, ארבע מחיצות העומדות ביני ובין יהוה. i. e. Sanctissimus dixit Abrahamo: Fili mi Abrahame, ambula coram me et fac perfectus sis. Dixit ei (Abrahamus): Domine mundorum, quomodo ero perfectus coram te? Dixit ei (Deus): Eo tempore (perfectus eris), quo foedus circumcides, nempe praeputium, quod est in corpore tuo, et quod est pars incircumcisorum. Et ideo dixit David quater (Ps. 118, 10, 11, 12.): In nomine Domini contundam eos; i. e. sicut foedere circumcisionis homo abscindit praeputium, ita in nomine Dei abscinditur putamen, i. e. quatuor parietes [putamina] stantes inter me et Dominum.

Idemque legitur in Sohar, Tom. III, par. Thasria, fol. 43, 2 et fol. 44 (Raja mehimna):

וגזירו דההוא קיימא לאעברא ההוא ערלה מקמי ברית, דהא בההוא זמנא דמתכנשי עמא קדישא לאעברא ההוא ערלה מקמי ברית קב"ה כניש כל פמליא דיליה ואתגלי ודאי לאעברא לההוא ערלה לעילא מקמי ברית קיימא קדישא. דהא כל עובדין דישראל עובדין לתתא מתערי עובדא לעילא ובההוא זמנא אתרחייה ההוא ערלה מכל עמא קדישא לעילא, i. e. Ac consilium hujus statuti, ut illud praeputium ante foedus ineundum circumcidatur, est, ut eo-

nes toties tantumque celebratae, in quibus omnes Judaeorum spes positae erant (Rom. 9, 4; 4, 13; 15, 8; et multi alii loci.).

3. Quae omnia Deus eorum posteris, quum seculis interjectis populus facti essent, denuo confirmavit lege per Moysen iis data. Qua lege Deus constituit: primum, quomodo ipsum colere deberent ad nomen ipsius celebrandum [39], Moyse sacrum et sacri cultum ad exemplar sacri coelestis ejusque cultus instituere jusso [40]; deinde quomodo vitandis impuris rebus,

---

dem tempore, quo congregatur populus sanctus ad amovendum illud praeputium ante foedus ineundum, Sanctissimus congreget familiam suam [angelos], et se manifestet profecto ad amovendum illud *praeputium superius* (v. supra) ante foedus sanctum sempiternum; omnia enim opera, quae Israel facit inferne, excitant opera superne; atque illo tempore amovetur illud praeputium [putamen, mala pars Dei thronum circumdans) a populo sancto superne.

[39] Jalkut Schimoni, par. Vaethchanan, fol. 267, col. 1:
לא נתנה תורה אלא לקדש את שמו הגדול.
i. e. Lex data non est nisi ad sanctificandum nomen suum (i. e. Jehovae) magnum.

[40] Sohar, Tom. II, par. Thrumah, fol. 140, 2 (in medio):
עובדא דמשכנא כגוונא דלעילא דא לקבל דא.
i. e. Cultus tabernaculi est ad modum superioris [sacri in coelo]; unum alteri est exadversum. — Et fol. 143, 1 dicitur:
ובי מקדשא אתבני כגוונא דלעילא. i.e. Aedes sancta aedificata est ad modum superioris (aedis in coelo, cf. Hebr. 8, 5. et Act. 7, 44.).

quum ceteris tum cibis imprimis, omnis societatis cum imperio Diaboli expertes [41], Diaboli do-

---

[41] Sohar, Tom. III, par. Schemini, fol. 41, 2 sqq. (in medio): וכל מאן דאתי מסטרא דימינא מסטרא דרחמי שארי לן למיכל, וכל אינון דאתיין מסטרא דשמאלא מסטרא דדינא כלהו אסיר לן למיכל. בגין דדרגא (דגרמא) דכלהו מסאבא, וכלהו מסאבין, ורוח מסאבא שריא בגווייהו ודרי בהו. ועל דא רוחא קדישא דישראל לא יתערב בהו ולא יסתאב בהו, בגין דישתכחון קדישין וישתמודעון לעילא ותתא......ותא חזי: כל מאן דאכיל מאינון מאכלי דאסירי אתדבק בסטרא אחרא, וגעיל נפשיה וגרמיה ורוח מסאבא שריא עליה, ואחזי גרמיה דלית ליה חולקא באלהא עלאה ולא אתי מסטריה, ולא אתדבק ביה. ואי יפוק הכי מהאי עלמא אחידן ביה כל אינון דאחידן בסטרא דמסאבא ומסאבין ליה ודיינין ליה, כבר נש דאיהו געלה דמריה, געלה בהאי עלמא וגעלה בעלמא דאתי.
i. e. Omnibus, quae veniunt a parte dextra, a parte misericordiarum, vesci nobis fas est; omnibus, quae veniunt a parte sinistra, a parte judicii, vesci nobis nefas est; quia gradus (vel interius) omnium est impurus (impurum), atque omnia impura sunt, et spiritus impurus commoratur in iis, et habitat in iis. Atque ideo spiritus sanctus Israelis se neque commiscere cum iis debet, neque inquinare per ea, ut sancti inveniantur (Israelitae) et agnoscantur superne et inferne. Ac veni et vide. Quicunque vescitur cibis vetitis, adhaeret parti alteri, ac polluit animam et interna sui, et spiritus impurus commoratur in eo, atque ostendit, internis ejus nihil negotii esse cum Deo superiore, neque ea venire ab ejus parte, neque adhaerere ei. Ac quum exit (homo) ex hoc mundo, adhaerent ei omnia, quae parti impurae adhaerent, ac reddunt eum impurum et

minio liberi manerent[42]; et si quid impuri in se admisissent, aut in Deum peccassent, quibus piamentis se purgare atque amissam Dei gratiam recuperare possent; ita ut hac ratione universae res creatae a Diabolo depravatae sensim repurgarentur[43].

Denique Deus saepius prophetas excitavit, qui Judaeis foedus cum Deo initum et promissa a Deo de Messia iis facta in memoriam revocarent[44].

---

condemnant eum, ut hominem, quem abominatur dominus suus, abominatur in hoc mundo, et abominatur in mundo futuro (cf. 2 Cor. 6, 17, conj. cum 7, 1.).

[42] Talmud, tract. Kiduschin, sect. 1. (Ajin Jaakof, Tom. II, fol. 87, 1):
הקב"ה אמר להם לישראל: בני, בראתי יצר הרע, ובראתי לו תורה תבלין. אם אתם עוסקים בתורה אין אתם נמסרים בידו....... ואם אין אתם עוסקים בתורה, אתם נמסרים בידו..... שכל משאו ומתנו בך, ואם אתה רוצה אתה מושל בו. i. e. Sanctissimus dixit Israelitis: filii mei, creavi malam concupiscentiam [Diabolum] et creavi legem ipsi in condimentum [quae esset contra eum remedium]. Si vos operam navatis legi, non tradimini in manus ejus, nam ei omne suum negotium cum vobis est, ac si vultis, in eum dominabimini.

[43] Jalkut Schimoni, Tom. II, fol. 25, 2:
רבא אמר: לא נתנו המצות אלא לצרף בהם את הבריות. i. e. Dixit Rabba: Praecepta non data sunt nisi ad purificandas res creatas (Hebr. 9, 1, conj. c. v. 13; cf. 10, 1.).

[44] Talmud, tract. Berachoth, sect. 5. (Ajin Jaakof, Tom. I, fol. 37, col. 4:

Universos igitur sacros libros Messiae adventum vaticinari, Judaei credunt[45].

כל הנביאים לא נתנבאו אלא לימות המשיח.
i. e. Omnes prophetae non nisi de diebus Messiae vaticinati sunt (cf. Hebr. 1, 1 conj. cum 2, 3; Rom. 1, 2; Act. 3, 24.).

[45] Medrasch Schochar tof, Thillim, fol. 3, col. 4 in vers.
אספרה אל חוק (Ps. 2, 7.):
מסופרים הם בחוקה של תורה, ובחוקן של
נביאים ובחוקן של כתובים. בחוקה של תורה:
בני בכורי ישראל. בחוקה של נביאים: הן עבדי
אתמוך בו. הנה ישכיל עבדי. בכתובים: נאם
יי' לאדוני. יי' אמר אלי, בני אתה. וארו עם ענני
שמיא כבר אינש אתי. — פירוש: ג' מקראות הללו
שמספרים גדולות רבות למשיח בן דוד אשר
אמר עליו כאן בני אתה.
[Totus hic Medraschi locus ad explicandum illum versum 7 Psalmi 2 spectat, ubi Messias de dignitate sibi mandata loquens introducitur his verbis: *Enuntiabo decretum, quo Deus mihi dixit: Tu es filius meus.* Ad quae verba Medraschus haec adjicit:] Enuntiata illa sunt decreto legis, et decretis prophetarum, et decretis Hagiographorum. *Decreto legis:* Filius meus primogenitus est Israel (2 Mos. 4, 22.). *Decretis prophetarum:* Ille est servus meus eum sustentabo (Jes. 42, 1.). Ecce felix futurus est servus meus (Jes. 52, 13.). *In Hagiographis:* Dictum Domini ad dominum meum etc. (Ps. 110, 1.). Dominus dixit mihi: meus filius es (Ps. 2, 7.). Et vide cum nubibus coelorum venit aliquis, ut filius hominis (Dan. 7, 13.). — [Ut nihil dubitationis relinquatur commentarius Medraschi disertis verbis declarat, haec de Messia dici:] Tres illi scripturae loci, enarrant magna miracula de *Messia filio David,* de quo hic dicit: filius meus es (cf. Matth. 11, 13; Luc. 16, 16; 24, 44; 1 Petr. 1, 10.).

5.

§. 15. 1. Quare factum est, ut Judaei Jesu et ejus discipulorum tempore summo cum desiderio exspectarent Messiae illius adventum, qui terminaret *praesens mundi aevum* (עולם הזה, hunc mundum), quo Diabolus, in terram dominans eamque corrumpens ac parti Dei bellum faciens, populum Dei opprimit; et adduceret felicissimam illam mundi aetatem (mundum futurum, עולם הבא), qua, Diabolo victo, populus Dei liberaretur, et, Deo solo per Messiam in terra imperante, summa felicitate frueretur. Quem Messiae adventum, atque, qui ex eo pendet, finem hujus aevi proxime instare sperabant (cf. Luc. **1**, 71; **2**, 30, 38; **24**, 21; Act. **1**, 6.).

2. Exspectabant ultimum quoddam bellum[46] inter regnum Dei et regnum Satanae, et inter populos ab utraque parte stantes. Dei pugnatores putabant coelestia angelorum agmina ac populum judaicum fore, ideoque universam Abrahami prolem ex omnibus terrae regionibus in Palaestina[47] (et quidem in Galilaea[48]) congregatum iri. Ducem eorum fore filium Dei, designatum Judaeorum regem (Messiam), qui ad hunc finem partu feminae ex veteri stirpe regia (Davidi-

---

[46] Bertholdti Christologia §. 40, pag. 201, 202 (cf. Matth. **24**, 6, 7; Apoc. **13**, 7 sqq.).

[47] B. Chr. pag. 79 (cf. Marc. **13**, 27; Matth. **24**, 31.).

[48] B. Chr. pag. 80.

ca[49]) in urbe Davidica[50] jam antehac homo factus esset[51]. His Dei pugnatoribus Diabolum angelos

---

[49] Sohar, Tom. III, par. Schelach lecha, fol. 173, 2 (ad Jesai. 40, 9):

מבשרת ציון, דא איהי חפצי בה, אתתא דנתן בר דוד, אימא איהי דמשיחא מנחם בר עמיאל, ואיהי תפוק ותבשר.....הנה יי׳ אלהים בחזק יבא וגו׳.

i. e. Nuntia Zionis, ea est Chephzi bah, *mulier Nathanis filii David; ea est mater Messiae* Menahemi filii Emiel. Atque exibit et nuntiabit: Ecce Dominus Deus veniet cum potentia (Jes. 40, 10.).

[50] B. Chr. pag. 83 (annot. 3. §. 18.).

[51] Haec cogitatio nihil habet, quod mireris, quia Judaei credebant, omnes animas jam pridem una cum mundo creatas[a], antequam nascerentur, in coelis exstare et vitam agere[b], et cum corporibus generationis momento conjungi[c]; id quod praeexistentiam animarum nominant, si verbo uti licet.

[a] Cf. R. Manasse ben Israel Nischmath chaiim, maamar scheni, cap. 16, fol. 70, pag. 2:

הגם שדעת חכמי אומות העולם הוא שהנשמות נבראים עם הגוף, שלומי אמוני ישראל מאמינים באמונה שלמה שנבראו כלם בששת ימי בראשית.

i. e. Etsi putant sapientes gentium hujus mundi, animas cum corporibus creari, tamen perfecte fideles Israelitae credunt cum fide perfecta, omnes eas creatas esse sex creationis diebus.

[b] Cf. eundem, fol. 71, pag. 1:

שנים אוצרות הם: אוצר הנשמות שעתידין להנתן בבני אדם דהא תנינן בההוא צורה ובההוא דיוקנא ממש שעתיד לעמוד בזה העולם בההוא דיוקנא שם, ונקרא גוף הנשמות......ואוצר אחר כנגדו לאותן הנשמות שהיו בעולם וקיימו התורה.

i. e. Duo sunt thesauri: thesaurus earum animarum, quae olim hominibus dabuntur, nam didicimus, qua figura atque forma

malos gentesque terrae (Gog et Magog[52]) oppositurum esse, duce quodam rege adversario (Anti-Messia, Anti-Christo, Armillo)[53].

3. Tempora hoc ultimum bellum praecedentia eique aequalia atrocissima futura, omnibus civilis societatis et familiarum vinculis solutis, quippe omnes homines ab alterutra parte staturos. Quos nominant dolores (ὠδῖνες) Messiae[54]. His angustiis Jehovae cultores ideo pressum iri,

---

homo olim exsistet in hoc mundo, eadem forma ibi eum esse; et is thesaurus nominatur Guph [quasi claustrum] animarum; et alter thesaurus, huic ex adverso situs, earum est animarum, quae in mundo fuerunt atque legem exsequutae sunt [paradisus superior].

e Idem, fol. 72, pag. 1, cap. 18 docet:

מונח קיים ויציב הוא מדעת כל חכמי ישראל שהנשמה הטהורה נתנה לו לאדם מאת ה׳ מן השמים מתחילת הוויתו במעי אמו טרם צאתו לאויר העולם.

i. e. Certum est et firmum et verum secundum doctrinam omnium sapientium Israelis, animam puram dari homini a Domino e coelis primo generationis momento in ventre matris, antequam egrediatur in aerem mundi.

[In eundem igitur modum, quo animae mere humanae, majoris quoque ordinis diviniorisque naturae spiritus ex sententia Judaeorum generatione cum corpore conjungi poterat. Hanc de praeexistentia et limbo animarum doctrinam etiam ab antiquioribus Christianae ecclesiae magistris probatam fuisse, notum est.]

52 B. Chr. pag. 200 — 202.

53 B. Chr. §. 16. Cf. De Wette bibl. Dogm. §. 303.

54 B. Chr. §. 13. Cf. De Wette bibl. Dogm. §. 197.

ut peccatis jam in vita luitis mori necesse non haberent, sed vivi a peccatis purgati, atque ita omnibus numeris perfecti, digni essent, qui Messiae adventum viderent [55].

4. Ipsius Messiae appropinquantis prodromum et praenuntium futurum prophetam Eliam, qui ad poenitentiam agendam adhortans subito in terra Judaea appariturus esset [56].

5. Simul praeter alia portenta [57] in coelo signum appariturum esse, instantem Messiae adventum

---

[55] R. Abarbanel Maschmia jeschuah, fol. 102, col. 2 infra sqq. (ad Malach. 3, 2.):

הוא יהיה כאש מצרף את הסיגים מן הכסף, כן יבדלו הרשעים מן הטובים ויכלו הרשעים וישארו הישרים, והוא יהיה כבורית המכבס את הבגד שמעביר ממנו כל כתם וכל טומאה. כך הוא יעביר הרשעה מן הארץ...... ישב כשופט לצרף ולטהר את הכסף שהוא ישראל....... ואמר: ומי מכלכל את יום בואו, שהוא יום המלחמה העצומה וזמן חבלי משיח.

i. e. Erit [ille dies] ut ignis *purgans scorias ex argento; ita segregabuntur mali a bonis, et delebuntur mali, et* RESTABUNT PII. Et erit, ut sapo lavans vestem et auferens ab ea omnes sordes et omne inquinamentum. Ita etiam *ille auferet impietatem a mundo.* Sedebit [Dominus] ut judex ad *purgandum et corrigendum argentum,* QUOD EST ISRAEL. Et de his dicit (Malach. 3, 2.): Quis sustinebit *diem* adventus ejus? *Qui est dies belli atrocis et tempus dolorum Messiae* (cf. 1 Petr. 4, 12—19.).

[56] B. Chr. §. 15, pag. 63.

[57] B. Chr. pag. 54.

indicans: arcum splendidissimis coloribus fulgentem, monimentum foederis illius a Deo cum Noacho facti [58].

6. Duodecim Israelis tribubus Messiae adventu congregatis bellum cum Diabolo in Judaea decertatum, ac denique pugna finitum iri, in qua Antichristus Messiae halitu afflatus perimeretur [59], atque ipse tandem Diabolus cum tota ejus factione a Messia ejusque sectatoribus vinceretur [60].

(Qua Messiae victoria liberatio mundi populique Dei e potestate Diaboli perficitur et absolvitur.)

§. 16. 1. Post hanc Messiae de Diabolo victoriam Deum de coelis descensurum esse, comitatum catervis angelorum, et animis perfecte

---

[58] Tikune Sohar, Tikun XVIII, fol. 32, pag. 2:
כל זמנא דאלין קליפין לא מתעברין מקשת, לא יהא קשת בגוונוי נהירין. וסימנא דא יהא בידך, עד דתחזי קשתא בגוונוי נהירין, לא תצפי לרגלי דמשיחא. ומיד דיהא נהיר בגוונין נהירין, מיד וראיתיה לזכר ברית עולם, ומיד אתגלייה ההוא דאתמר ביה. וזה לך האות. i. e. Per omne tempus, quo haec putamina (v. annot. 35.) non removentur ab arcu [coelesti], arcus non est splendidis coloribus. Et hoc tibi signo sit: Donec videbis arcum fulgentem coloribus splendidis, ne exspecta pedes Messiae. At simulac lucebit coloribus splendidis, eum spectabo ad recordandum foedus aeternum, et revelabo eum, de quo dictum est (2 Mos. 3, 12): Et hoc tibi sit signum (cf. Matth. 24, 30?).

[59] B. Chr. pag. 73, annot. 14.

[60] B. Chr. pag. 202 (cf. Apoc. 12, 7, 8, 10; 17, 14.).

piorum adhuc in paradiso superiore asservatis, adcitis simul piorum animis in paradiso inferiore commorantibus, et eodem tempore coelestem Hierosolymam[61], ac coeleste Dei templum[62] e coelo in terram demissum iri.

2. Tum Deum in eos, qui ex illa pugna superessent judicium habiturum esse, Messia jus dicente[63], ita ut, qui Diaboli partes sequuti essent, in geennae ignem detruderentur[64]; contra qui Dei causae studuissent, inter regni Messiani cives reciperentur. Tum Diabolum cum suae

---

[61] B. Chr. §. 46, pag. 219 (cf. Hebr. **11**, 10, 16; **12**, 22.).

[62] Emek hammelech, schaar Kirjath arba, cap. 152 fol. 121, c. 4:
ואז יוריד הקב״ה בית המקדש משמי שמים העליונים אשר כולו אש מעשה ידו של הקב״ה, וישמשו בו ישראל כמלאכי הקודש המשרתים בשמי מרום. i. e. Tum demittet Sanctissimus *domum sanctuarii* e coelo coelorum superiore, quod totum ignis est, *factum manu Sanctissimi*, et Israel ibi Deum colet, ut sancti angeli ministrantes in alto coelo (cf. Hebr. **8**, 2; **9**, 11, 12.).

[63] B. Chr. pag. 208 (cf. Matth. 25, 31 sqq.).

[64] R. Abarbanel in libro Majene hajeschuah, fol. 48, col. 4 superne:
הדין הוא העונש שיעניש הקב״ה את האומות. ויבטל ממשלתם בזמן ביאת. משיחנו, והשלטנות והממשלה שתקבל האומה, כי כל זה נכלל בשם הדין. i. e. Judicium ea est poena, qua Sanctissimus punibit gentes et delebit earum imperium tempore adventus Messiae nostri, ac regnum imperiumque, quod accipiet populus (Israel); nam haec omnia continentur vocabulo judicii (cf. Matth. **25**, 31.).

partis angelis et hominibus in geennam dejectum iri[65] ibique per omne regni Messiani tempus inclusum fore, superstites vero Dei cultores ad catervas angelorum et piarum animarum congregatum iri. Hic est dies ille magni judicii[66], quem etiam tantummodo diem magnum[67] nominant, recentiores vero judicium novissimum.

(Hoc igitur judicium non in universos homines, sed solum in homines tum temporis superstites, et potissimum in gentes cadit[68].)

3. His peractis Deum opera Messiae[69] corpora mortuorum ipsius cultorum (solum igitur Judaeorum[70], nec nisi eorum gentilium, qui Jehovae

---

[65] B. Chr. pag. 185, annot. 3. Cf. annot. 105 (cf. Matth. 25, 41; Apoc. 20, 14, 15.).

[66] B. Chr. pag. 208 in med. (cf. 2 Petr. 2, 9; 1 Joh. 4, 17.).

[67] Vide infra annot. 77 (cf. Jud. 6; Apoc. 6, 17; 16, 14.).

[68] B. Chr. pag. 209, annot. 2 in fine (cf. De Wette bibl. Dogm. §. 304, annot.).

[69] B. Chr. pag. 179 in med.

[70] Notissimum est illud Talmudi dictum: tract. Thaanith, sect. 1. (Ajin Jaakof, Tom. I, fol. 158, col. 3.):
גדול יום הגשמים מתחיית המתים, דאלו תחיית המתים לצדיקים, ואלו הכא בין לצדיקים בין לרשעים.
i. e. Dies pluviarum major est quam resurrectio mortuorum, resurrectio enim mortuorum [solum] piorum est, ille vero et piorum et impiorum.

Sub vocabulo vero piorum Israelitas, et sub vocabulo im-

cultui se applicantes ad ejus partes se converte-

---

piorum gentes idololatras intelligi, notissimum est (v. etiam annot. 19 in med.; cf. Gal. 2, 15; Luç. 6, 32—34.). Quapropter hoc Talmudi dictum in Bereschith rabba, seder Bereschith, fol. 16, col. 1, repetitur his verbis:

תחיית המתים לישראל, וזו לישראל ולאומות העולם.

i. e. Resurrectio mortuorum Israelis est, illae [pluviae] vero Israelis et gentium terrae.

Ideoque R. Bechai in commentario ad Pentat., par. Vesoth habberachah, Tom. II, fol. 53 pag. 1 ita scribit:

ארבעה דברים הם, שלא זכתה בהן שום אומה ולשון אלא ישראל, ואל, הן הנבואהו והתורה, וארץ ישראל, ותחיית המתים.

i. e. Quatuor sunt res, quibus non fruitur ulla gens vel lingua, nisi Israel, atque eae sunt: vaticinatio, et lex, et terra Israel, et *resurrectio mortuorum* (cf. Apoc. 20, 5, 6.).

Et Kimchi in commentar. ad Jesaiam (26, 19.) haecce dicit:

אמר אז בעת הישועה יחיו מתיך, כי עתיד הקב"ה להחיות מתים בעת הישועה, וכן אמר בנבואת דניאל ורבים מישני אדמת עפר יקיצו......ואמר הנביא אז יחיו מתיך, והכנוי הוא כנגד האל ר"ל הצדיקים שהם לאל, כמו שאמרו רבותינו ז"ל כי תחיית המתים לצדיקים ולא לרשעים, וכן נראה בזה הפסוק שאמר מתיך, וכן בנבואת דניאל שאמר ורבים.

i. e. Tum dicit Jesaias: tempore salutis vivos reddet mortuos *tuos;* nam tempore futuro Sanctissimus vivos reddet mortuos tempore salutis; et ita quoque dicitur in vaticinio Danielis (12, 2): *multi* ex iis, qui dormiunt in pulvere terrae, expergefient. Et dicit propheta: Tum vivi redduntur mortui *tui;* pronomen *tui* ad Deum referendum; significat igitur *justi, qui Dei sunt* [i. e. Dei cultores, Israelitae], ut dixerunt magistri nostri: resurrectionem mortuorum ad *pios* [Israe-

runt, piorum gentilium [71], quos vulgo dicunt),

litas] nec vero ad *impios* [gentiles] pertinere; id quod etiam ex nostro loco apparet, quia dictum est: mortui *tui;* nec minus e vaticinio Danielis, qui dicit: *multi* expergefient [neque vero *omnes*].

[71] Abodath hakkodesch, fol. 54, col. 4 in fine et sqq. (Chelek haabodah):

מה שאמרו חסידי אומות העולם יש להם חלק לעולם הבא: ואם הוא כמו שאמרנו שהוא העולם הבא שאחר התחייה, איך יזכו לו חסידי אומות העולם, וכבר אמרו שתחיית המתים אינה אלא לצדיקים גמורים. יש לומר כי חסידי אומות העולם הם אשר קיימו כל תורת בני נח, שהן ז' מצוות שנצטוו. ואחר שקיימו תורתם הנה קנו המדרגה ההיא וכמו שהצדיקים גמורים הם, אשר קיימו כל תורת משה, אלה כתורתם ואלה כתורתם. הואיל וקיימוה כמו שנצטוו כלם יקנו המדרגה בעולם הבא כפי תורתם. ואם כן למה לא נאמין שיזכו אל תחיית המתים הואיל וקיימו תורתם.

i. e. Dixerunt, pios gentium mundi participes esse mundi futuri. At si verum est, quod diximus, mundum futurum esse post resurrectionem, quomodo adepturi sunt eum, quum antea diximus, resurrectionem mortuorum non nisi perfecte justorum esse? Dicendum est: pios gentium mundi eos esse, qui omnem legem filiorum Noachi observant, quae ex septem constat praeceptis, quae iis mandata sunt. Atque ubi observaverunt legem suam, ecce attigerunt eundem gradum quem perfecte justi, qui observaverunt totam legem Moysis [at v. annot. 119]; illi secundum legem suam, et hi secundum legem suam. Ac si ita res est, quidni crediderimus, eos participes esse resurrectionis mortuorum, si legem suam observaverunt (cf. Ephes. 2, 5 (cf. 11) et 6, conj. cum 3, 6.).

tuba septies sonum clarissimum edente[72], unde quaque in Judaeam coacta[73] restitutum iri, at-

---

[72] Othioth R. Akiba, littera ט, fol. 19, pag. 2:
כיצד הקב"ה מחיה את המתים לעולם הבא. מלמד שנוטל הקב"ה שופר גדול בידו...... ותוקע בו, וקולו הולך מסוף העולם עד סופו. בתקיעה ראשונה העולם כולו רועש. בתקיעה שניה העפר מתפרד בתקיעה שלישית עצמותיהם מתקבצין. בתקיעה רביעית אברים מתחממין. בתקיעה חמישית עורותיהן מתקרמים. בתקיעה ששית רוחות ונשמות מתכנסות לגופיהן. בתקיעה ביעית חיים ועומדים על רגליהם בלבושיהם. i. e. Quomodo Sanctissimus excitabit mortuos in mundo futuro? Didicimus: Sanctissimum laturum esse magnam tubam manu sua. Et canet ea, ejusque sonus ibit ab uno fine mundi ad alterum. Ac primo cantu totus mundus movetur. Secundo cantu pulvis secernitur. Tertio cantu ossa colliguntur. Quarto cantu membra incalescunt. Quinto cantu cutis eis obducitur. Sexto cantu spiritus et animae ineunt in corpora. Septimo cantu vivi fiunt et pedibus insistunt cum vestibus suis (cf. 1 Thess. 4, 16 conj. cum 1 Cor. 15, 52.).

[73] R. David Kimchi in comment. ad Ezech. 37, 12:
מחלוקת יש בדברי רז"ל על המתים בחוצה לארץ. מהם אמרו כי בחוצה לארץ יעלו מקברותיהם. ומהם אמרו מקברותיהם יעלו לארץ ישראל בגלגול ודרך מחילות. i. e. Dissensio est inter dicta magistrorum nostrorum de mortuis, qui sunt extra terram [Israelis, Palaestinam]. Quidam ex iis dicunt, eos extra terram e sepulcris resurrecturos esse; alii dicunt, eos e sepulcris resurrecturos esse in terra Israelis volutatione per cavernas.

que animas cum restitutis his suis pristinis corporibus conjunctum iri [74]. Haec est resurrectio mortuorum.

4. Corpora vero illa non solum in pristinum, qualis in vita fuerit, statum, sed in illam formam ac naturam perfectiorem, qualis ante hominum lapsum fuisset, restitutum iri [75]. Haec sunt, quae nominant, corpora gloriosa, spiritualia.

5. Ne autem pii superstites piis mortuis, qui splendidiora corpora nacti essent, ullo modo inferiores viderentur, Deum corpora eorum viva in

---

[74] Cf. quae de hac re proferuntur in annott. 72, 75 et 77.

[75] Sohar, Tom. I, Medrasch hanelam, par. Vajera, fol. 113, col. 2:

אמר ר׳ פנחס עתיד הקב״ה ליפות לגוף הצדיקים לעתיד לבא כיופי של אדם הראשון כשנכנס לגן ערן...אמר ר׳ לוי הנשמה בעודה במעלתה ניזונה באור של מעלה, ומתלבשת בו וכשיכנס ונשתרש לגוף לעתיד לבא באותו האור ממש יכנס ואזי הגוף יאיר כזהר הרקיע, הה״ד והמשכילים יזהירו כזהר הרקיע.

i. e. Dixit R. Pinchas: tempore futuro Sanctissimus pulchra reddet corpora justorum, uti pulchrum erat [corpus] primi hominis, quum introibat in paradisum. Dixit R. Levi: anima in fasciculo superiore [qui est idem ac fasciculus vitarum, vel paradisus superior v. annot. 2.] nutritur luce superiore [i. e. coelesti, divina], et vestitur ea. Ac si introit in corpus eique inseritur tempore futuro, in id introit cum illa ipsa luce, et tum corpus fulgebit, ut splendor coeli; et hoc est, quod scriptum est (Daniel 12, 3.): sapientes splendent ut splendor coeli. (Vide etiam annot. seq.; cf. Phil. 3, 21; 1 Cor. 15, 35 sqq. 44.)

eandem illam formam commutaturum esse [76]. Quae est commutatio viventium.

(Haec tamen de judicio et resurrectione doctrina magna magistrorum judaicorum dissensione laborat [77].)

---

[76] Jalkut Rubeni, par. Vesoth habberachah, fol. 182, col. 1: דע כי מסורה בידינו: כשיבא משיח עם קיבוץ גליות לארץ ישראל באותו יום ימצאו שבעת אלפים מבני ישראל. ובאותו היום יחיו מתים בארץ ישראל ובאותו היום יבנה בית המקדש מאבנים טובות ומרגליות. ובאותו היום יחזרו המתים, שבארץ ישראל חיות, בריה חדשה רוחניית. וכן שבעת אלפים איש, הנמצאים חיים, כולם יעשו בריה חדשה גוף ורוח, גוף של אדם קודם שחטא ויפרחו כולם באויר מעופפים כנשרים. i.e. Scito, traditionem nos habere, quum venerit Messias cum congregatione exulum in terram Israelis, eo die inventum iri septem millia filiorum Israelis, et illo die in vitam revocatum iri mortuos in terra Israelis, et eo die aedificatum iri domum sanctuarii lapidibus pretiosis et margaritis. Eo die reddentur mortui, qui in terra Israelis vivificati sunt, novae creaturae spirituales. *Parimodo septem millia hominum, qui vivi invenientur, omnes novae creaturae fient et anima et corpore* (cf. Philipp. 3, 21; 1 Cor. 15, 51 sqq.; 2 Cor. 5, 1—4.). Habebunt *corpus, quale Adam habuit antequam peccavit;* AC FERENTUR PER AEREM VOLANTES UT AQUILAE (1 Thess. 4, 17.).

[77] Has, quas supra exposuimus, de judicio et resurrectione doctrinas, earumque ab opinione vulgari discedentem ordinem, hisce probari credimus rationibus.

Duplex in libris rabbinicis invenitur de his rebus sententia.

Una magistrorum rabbinicorum pars, et ea quidem, cui hodierni Judaei assentiunt, universum in omnes homines et mor-

6. Simul etiam totum mundum, coelum ter-

---

tuos et superstites judicium statuunt, quo unusquisque vitae peractae rationem reddere, ac pro merito aut praemio aut poena affici debeat; tum resurrectionem quoque omnium mortuorum et Judaeorum [piorum] et gentilium [impiorum] fore credunt, eamque *judicio antecedentem* faciunt, nimirum quia mortui prius vivi reddantur necesse est, quam de iis judicium fieri potest.

Altera pars resurrectionem non universam omnium hominum et Judaeorum et gentilium, sed solum Judaeorum fore statuit, ergo neque judicium de omnibus hominibus futurum esse, quia mortui gentiles resurrectionis non participes sint (v. annott. 19 et 20.); quam ob rem solum de hominibus Messiae adventu superstitibus, ac praesertim de gentilibus tum temporis contra Messiam bellum gerentibus judicium factum iri.

Tertia de his rebus doctrina reperitur in Pauli et Johannis scriptis (1 Cor. 15, 24; Apoc. 20, 4.), qui duas resurrectiones futuras esse statuunt, unam initio regni Messiani, alteram post regnum Messianum initio ultimi illius regni (cf. annot. 82.), cujus rex ipse Deus erit.

At prima illa vulgaris opinio, etsi a plurimis magistris judaicis probatur, ac non paucis N. T. locis inest, tamen cum cetera doctrina judaica minime congruere, immo ei e diametro adversari videtur.

Primum enim tale judicium de uniuscujusque vita peracta statim post mortem fieri, omnes uno ore consentiunt magistri, secundum igitur in mortuos judicium omnino esset superfluum, quia quisque statim post hanc vitam pro meritis aut poenam in geenna dedit, aut praemium in paradiso accepit. Quam rem bene disserit Abarbanel in libro suo: Majene hajeschuah „ fol. 48, col. 1 sqq. his verbis:

אם רצו בדין השלישי הזה כענין שאר הדינין,
שישב הקב״ה ופלס ומאזני משפט בידו לשקול

ramque, deletis omnibus vestigiis corruptionis

ולפלס זכיות כל אדם ועונותיו ולפסוק הדין: זה זכאי וזה חייב, הנה לא ידעתי דין הג' ההוא. כי כיון שכבר בשעת המיתה נדון ונגזר אם לזכות אם לחובה בין שיהיה מתן שכרו וענשו מיד בעולם הנשמות.....או שהיתה נפשו ערוכה בכל ושמורה בגן עדן, ולא תקבל שכרה עד אלף דור לזמן התחיה......אין ספק בין להא ובין להא שכבר נגמר הדין לכל אדם במותו אם לגמול אם לעונש, ולמה אם כן יכנס באחרית הימים פעם אחרת בדין ג'.

i. e. Si volunt, in hoc tertio judicio ad modum ceterorum judiciorum [quorum primum illud est, quod quotannis primo anni die in totum mundum a Deo habetur, atque in quo res hoc ipso anno gerendae statuuntur, alterum vero illud, quod ipso mortis momento de homine fit,] Sanctissimum sessurum esse, libram et bilances judicii in manibus habentem ad ponderandam et expendendam justitiam cujusvis hominis ejusque peccata, et ad dicendam sententiam: hic est justus et hic est reus; en ego non intelligo hoc judicium tertium. Nam quum homo jam pridem hora mortis judicatus sit, ac decretum, utrum justus sit an reus, sive eum praemium vel poena statim in mundo animarum manet, sive anima ejus seposita asservatur in paradiso, et praemium recipit post millesimam demum aetatem tempore Messiae, tamen non est dubium, sive hoc est, sive illud, quin jam pridem dicta sit sententia cuivis homini tempore mortis, ut aut praemio afficiatur aut poena; ac si haec ita sunt, cur homo ultimis diebus denuo tertium judicium subeat?

Tum vero non praetermittendum est, secundum tale de mortuis judicium non solum superfluum esse, sed in maxima hominum parte omnino locum habere non posse. *Impiorum enim gentilium animae flammis geennae, in quas statim post mortem detrusae sunt*, PRORSUS DELETAE ATQUE IN NIHILUM REDAC-

illius, qua res creatae vi Diaboli infectae redditae

TAB (cf. annot. 19.), *non resurgere, neque igitur iterum judicari possunt;* id quod recte animadvertit scriptor Sohari, Tom. I, par. Vajera, fol. 107, col. 2 (Medrasch hanelam):

הרשעים של אומות העולם, עובדי עבודה זרה, נדונים באש ובמים...... ושוב אינם עולים, ולא יקומו ליום הדין.

i. e. Impii e gentibus mundi, qui idola coluerunt, puniuntur [in geenna] igne et aqua, *neque rursum ascendunt neque resurgunt die judicii.*

Malorum vero Israelitarum animae geennae flammis jam purgatae sunt atque in piorum numerum receptae (v. annot. 21.), ideo denuo in judicium vocari non possunt.

His rationibus ducti alterius magistrorum rabbinicorum partis opinionem non possumus non pro genuina Judaeorum doctrina habere, quum primae illi opinioni, quae est vulgaris, doctrinarum inter se nexus et cohaerentia repugnet. Quibus de causis etiam R. *Abarbanel* et illustrissimus ille R. *Luria* eam, quam supra exposuimus, judicii magni explicationem probaverunt, judicium illud esse supplicium Dei in gentes idololatras Diaboli adversarii sui partem sequentes, atque remunerationem populi Israelis a sua parte stantis. Dicit enim Abarbanel in libro Majene hajeschuah, fol. 48, col. 2, infra:

וזהו יום הדין הגדול הנזכר בדבריהם ז"ל במאמר הנביא: הנה יום בא בוער כתנור וקראו יום ה' הגדול והנורא לפי שבו יתגלה משפטו וענשו, לא שישב על כסא דין לראות איזהו זכאי ואיזהו חייב.

i. e. Ille est dies judicii magni et terribilis, qui memoratur verbis eorum [rabbinorum] ad effatum prophetae (Malach. 4, 1): ecce veniet dies, qui ardebit, ut fornax; ac nominaverunt eum: diem Domini magnum et terribilem, quod in eo manifestum futurum est *Dei supplicium atque poena; nec vero, quod sedebit in throno judicii,* ut videat, quis sit justus et quis reus.

erant, pariter atque homines in pristinum, qua-

R. Luriae sententiam laudatam invenis in libro: Nischmath chaiim R. Mannasse ben Israel, maamar rischon, fol. 46, pag. 2, his verbis:

ואם תאמר מאחר שעברו על הנשמה הזאת יום הכיפורים ויסורים ממרקים.....למה לה לחזור ולהיותה נידונית ביום הדין הגדול. ויש לומר, כי יום הדין הגדול אינו אלא לאומות העולם.

i. e. Si dicis: postquam contigerunt animae dies expiationis et castigationes purgatoriae [in geenna post mortem], cur ea iterum judicari debet die magni judicii? Ei respondendum est: diem illum magni judicii nullius esse nisi gentium mundi.

Quod si igitur judicium magnum non de mortuis sed solum de iis agitur, qui sub adventum Messiae vivunt, non est jam, cur resurrectio mortuorum judicium antecedat. Quin immo aptior esse videtur series rerum arctiorque earum conjunctio, si sumitur, judicium statim post pugnam illam inter Messiam et Diabolum in devictum Diaboli exercitum futurum esse, mortuorum autem piorum corpora, demum Diabolo amoto atque in geennam detruso, e sepulcris excitatum et cum animis conjunctum iri. Quae sententia iis confirmatur locis, ubi judicium magnum ante resurrectionem ponitur, et aliis, in quibus resurrectio ultimum rerum nominatur.

Sohar, Tom. I, par. Vajera, fol. 116, col. 2 (Medrasch hanelam):

האי אומנא דאפיק כספא ממקורא דארעא, מאי עבד. בקדמיתא מעייל ליה בנור דליק עד דנפיק מניה כל זוהמא דארעא והא אשתארת כספא, אבל לא כספא שלימתא. לבתר מאי עביד. מעייל ליה בנורא כדבקדמייתא ומפיק מניה סטייפי...... וכדין הוא כספא שלימתא בלא ערבוביא. — כך הקב"ה מעייל האי גופא תחות ארעא עד דמתרקב

lis ante lapsum fuisset; statum perfectum restitu-

כוליה, ונפיק מניה כל זוהמא בישא. ואשתאר
ההוא תרווד רקב ואתבני גופא מניה ועד כען
הוא גופא, ולא שלים. לבתר ההוא יומא רבא....
מתטמרן כלהו בעפרא כדבקדמייתא מן קדם
דחילו ותקיפו דקב"ה הה"ד ובאו במערות צורים
ובמחלות עפר מפני פחד י"י ומהדר גאונו וגו' ונפיק
נשמתייהו ומתעכל ההוא תרווד רקב ואשתאר
גופא דאתבני תמן נהורא דיליה כנהורא דשמשא.
וכזהרא דרקיע וכדין כספא שלים גופא שלימא
בלא ערבוביא אחרניתא דאמר ר' יעקב גופא
דנהיר ירמי קב"ה מלעילא וכדין יתקרון קדישין
עלאין ודא הוא דאקרי תחיית המתים דברייתא,
ודא הוא נסיונא בתרייתא ולא יטעמון עוד טעמא
דמותא. i. e. Artifex, qui argentum elicit e gremio terrae, quid facit? Primo ponit id in igne ardente, quoad tolluntur ab eo omnes sordes terrae. Ac restat argentum, sed nondum argentum perfectum. Postea quid facit? Ponit id in igne ut antea; et aufert scorias ab eo; ac tum argentum est perfectum et sine squalore. — Ita Sanctissimus ponit corpus in terra, quoad penitus putrescit, atque auferuntur ab eo omnes malae sordes, ac relinquitur *cochlear putredinis* [i. e. pugnus pulveris]; ex hoc corpus formatur, et tum corpus quidem est, sed nondum perfectum. *Post hunc magnum diem omnia se in pulvere abscondent, ut antea,* coram terrore et vehementia Sanctissimi, atque hoc est, quod scriptum est (Jesaias 2, 19): Ibunt in cavernas saxorum et in specus terrae coram terrore Domini et coram splendore majestatis ejus; et exibunt animae eorum ac consumetur illud *cochlear putredinis. Ac tum restabit corpus illud, quod ita formatum erit, ut nitor ejus sit, uti nitor solis* [illud corpus spirituale, σῶμα τῆς δόξης] *et splendor coeli.* Tum argentum est perfectum; corpus est perfectum sine

tum iri, ita ut omnes res creatae ingeneratam

---

admixtione aliena, ac dicit R. Jaakof: corpus splendens Sanctissimus de coelo demittet. Et tum nominabuntur sancti superiores [coelestes]. *Atque hoc est, quod nominatur: Vivificatio mortuorum hominum, atque haec est tentatio postrema,* neque ultra gustabunt mortem.

Etsi duplicem hanc corporis dissolutionem ac purgationem, unam post mortem, alteram post diem judicii magni, duplicemque hanc corporis resurrectionem minime probare possumus, hoc tamen patet, fuisse, qui judicium illud magnum ante resurrectionem futurum esse censerent; id quod contra vulgarem opinionem demonstrare voluimus.

Si igitur dies judicii prior resurrectione mortuorum est, haec ipsa jure ultimum rerum nominari potest: Sohar, Tom. I, par. Tholdoth Jizchak, fol. 159, col. 2. (Medrasch hanelam): אמר ר' יוסף: וכי ימות המשיח ותחיית המתים לאו חד הוא. אמר ליה, לא, דתנן בית המקדש קודם לקבוץ גליות, קבוץ גליות קודם לתחיית המתים, ותחיית המתים הוא אחרון שבכלם. מנא לן. דכתיב: בונה ירושלים יי, נדחי ישראל יכנס, הרופא לשבורי לב ומחבש לעצבותם, זו היא תחיית המתים, שהיא הרפואה לשבורי לב על מתיהם. בונה ירושלים תחלה, ואחריו נדחי ישראל יכנס, והרופא לשבורי לב אחרון על הכל. i. e. Dixit R. Joseph: Dies Messiae ac resurrectio mortuorum nonne sunt unum idemque? Respondit ei: non sunt. Didicimus: Domus Sanctuarii prior est congregatione exsulum; ac congregatio exsulum prior quam resurrectio mortuorum, ac resurrectio mortuorum postremum est omnium rerum. Unde hoc habemus? Scriptum est (Ps. 147, 2 et 3): Aedificabit Sanctissimus Jerusalem, exsules Israelis congregabit, medebiturque fractis cor, et obligabit eorum vulnera. Ea est resuscitatio mortuorum, quae est sanatio eorum, quibus cor morte

sibi integritatem atque pulchritudinem priorem

---

fractum est. Aedificabit Jerusalem initio, tum exsules Israelis congregabit, et sanabit fractos cor postremo. — Idem locus invenitur in Sohar, Tom. I, par. Chaie sarah in fine, fol. 134, pag. 1, e quibus locis eadem sententia repetitur: Emek hammelech, fol. 132, col. 2, cap. 12; et fol. 42, col. 4, cap. 72.

Secundam hanc opinionem auctor Evang. sec. Matth. probare videtur, quum de judicio agit, nulla resurrectionis mentione facta (Matth. 25, 31 sqq.).

Tertiae illius doctrinae, quam apud Bertholdtum (Christol. §. 41, pag. 203.) fusius expositam habes, vestigia in libris rabbinicis reperire diu frustra studui, quum ipse Bertholdtus nullum attulerit locum, quo judaicam esse hanc doctrinam probaret. Denique tamen locum investigavi, qui doctrinam hanc exhibet, sed simul etiam rejicit. Vide: Sohar, Tom. I, par. Tholdoth Jizchak, fol. 140, col. 2. (Medrasch hanelam):

כתיב: ורבים מישני אדמת עפר יקיצו. משמע דכתיב, מישני אלו הם הצדיקים הנקדמים בחייהם קודם זה וכמה שנים הם נקדמים. רבי יהודה אומר מאתים ועשר שנים, רבי יצחק אומר רד״י שנים, דכתיב: ויר״ד מיעקב וגו״ יר״ד שנה נקדמים הצדיקים לשאר כל אדם. רב נחמן אמר: לפי השיעור שנבלה בעפר. אמר להם רבי יוסי: אם כן הרבה תחיות הוו אלא כל התחיות יהיו באותו הזמן

i. e. Scriptum est (Daniel 12, 2.): *Multi e dormientibus* in pulvere terrae expergiscentur. Cogitandum est, quia scriptum est *e* dormientibus, *hos esse pios, qui prius vivi fiant, ante tempus illud* [*universae resurrectionis*, quam auctor libri paulo ante anno 5408 mundi futuram esse statuit]. Quot annis prius vivi fiunt? R. Jehudah dicit 210 [tot annos Israelitas in Aegypto commoratos esse, notum est], R. Jizchak dicit 214, nam scriptum est (4 Mos. 24, 19.): וירד מיעקב (i. e.

recuperarent[78]. Haec est instauratio totius rerum naturae.

7. Exinde Deum cum populo suo ad sanctitatem revocato per Messiam novum pactum (foedus)[79] icturum esse, eique per eundem novam daturum legem[80]. Diaboli enim imperio deleto, totoque mundo renovato, nullam amplius rem impuram reliquam fore[81], neque ullum amplius

regnabit e Jacob etc.) Quod verbum יר״ד occulta est significatio, qua docetur numerum annorum esse 214, quot annis pii prius vivi fiunt. R. Nachman dixit: quantum temporis putruerunt in terra [tanto prius expergiscentur]. Dixit iis R. Jose: *Quodsi ita res esset, multae essent resurrectiones, quod non, sed omnes resurrectiones erunt uno eodemque tempore.*

Quum tota haec doctrina accuratiori disputatione valde egeat, satis duxi, virorum doctorum animas in has controversias convertere, uberiorem rei expositionem aptiori loco reservans.

[78] B. Chr. §. 44 et 45, pag. 216 (cf. Matth. **19**, 28.).

[79] Tikun Schlomoh, Jozer leparschath hachodesch, fol. 29, col. 2:
ותעשה חרשה, לבראת ארץ חרשה, להנתן דת חרשה, לכרות בריות חרשה, להבראות בריה חרשה, להתחרש רוח חרשה. i. e. Renovationem fac [Deus] creando novam terram, dando novam legem, feriendo novum foedus, creando novas creaturas, restituendo novum [tuum sanctum] spiritum (cf. Hebr. **8**, 7—13; **9**, 15; **12**, 24; Matth. **26**, 28; 1 Cor. **11**, 25.).

[80] B. Chr. §. 31, pag. 164, annot. 3 et pag. 165.

[81] Emek hammelech, Olam hattohu, fol. 41, col. 3:
הזמן של תחיית המתים להעביר הזוהמא מהעולם

peccatum commissum iri; ideoque non amplius piaculis neque hostiis opus fore [82], solo eucharis-

והקדושה תתגברה על פני כולה. i. e. Tempus resurrectionis mortuorum auferet impuritatem e mundo ac sanctitas invalescet in universo.

Quam mundi purgationem tantum valere credunt, ut omnes eae res, cibi etc., quae nunc ob impuritatem lege Mosaica vetitae sunt, tum temporis, quia non amplius impurae erunt, licitae sint; Medrasch Schochar tof, Thehillim, fol. 49, col. 4:
יש אומרים כל הבהמה שנטמאת בעולם הזה מטהר אותה הקב"ה לעתיד לבא. וכה"א מה שהיה הוא שיהיה, וכו' ומה שנעשה. טהורים היו מקודם לבני נח. וכה"א להן, כירק עשב נתתי לכם את כל. מה ירק עשב נתתי לכל אף החיה והבהמה לכל מתחלה. i. e. Sunt qui dicant: omnia animalia, quae in hoc mundo impura sunt, purgabit Sanctissimus in mundo futuro. Atque hoc est, quod dictum est (Eccles. 1, 9.): Quae fuerunt, ea futura sunt etc.; nam ea, quae reddentur pura, jam ante pura fuerunt tempore filiorum Noachi. Et hoc est, quod dictum est (Gen. 9, 3.): Ut viridem herbam dedi vobis omnia [sc. animalia]. Ut viridem herbam dedi omnibus, etiam bestiae et animalia initio omnibus [destinata] erant (cf. Apoc. 22, 3.).

[82] Abodath hakkodesch, Chelek haabodah, cap. 43, fol. 56, col. 2:
לעולם הבא, אחר התחיה אין חטא, אין מות, ולזה אין חטאות ואשמות ושום קרבן לעתיד לבא, זולת תמידין ומוספין וקרבן תודה שלא יתבטלו לעולם, כי חטאות ואשמות באות על חטא. ובזמן שאין חטא חטאות ואשמות למה. i. e. In mundo futuro post resurrectionem non erit peccatum neque mors. Ideoque non erunt sacrificia pro peccato, neque pro reatu, neque ullum sacrificium in mundo futuro, praeterquam sacrificia sempi-

tico sacrificio permanente; nullis quoque amplius precibus, nisi hymnis eucharisticis [83] in Dei laudem cantandis, usuros esse pios.

8. Hac lege data populum Dei, rege filio Dei (Messia), cum angelis in *Hierosolyma illa coelesti* habiturum esse, Deumque ipsum, ut una cum iis esset, sedem suam in *templum suum coeleste, monti Zioni impositum*, translaturum esse [84].

9. Regnante autem Messia populum Dei, sempiterna pace fruentem, vitam laetissimam ac beatissimam acturum esse; epulis enim ac conviviis oblectatum iri pios, angelis ministrantibus [85] ac

---

terna et adjecta, et sacrificium eucharisticum, quod nunquam cessabit. Nam sacrificia lustralia et piacularia fiunt propter peccatum; at quo tempore peccatum non erit, cui bono erunt sacrificia lustralia et piacularia?

[83] Vajikra rabba, seder Zav, par. 9, fol. 174, col. 4: לעתיד לבוא כל הקרבנות בטלים, וְהקרבן·תודה אינו בטל, כל התפילות בטלות, הֲהוראה אינה בטלה. i.e. In mundo futuro cessabunt omnia sacrificia, sed sacrificium eucharisticum non cessabit; omnes preces cessabunt, sed preces eucharisticae non cessabunt.

Quam sententiam iterum in eodem libro invenies: Vajikra rabba, par. 13, fol. 179, col. 2.

[84] Sidor lifne Jisrael, pag. 132 (in precatione vespertina): לירושלים עירך ברחמים תשוב ותשכון בתוכה כאשר דברת. i. e. In Hierosolymam urbem tuam per misericordiam redibis, et in ea habitabis, ut dixisti (cf. Apoc. 21, 3.).

[85] B. Chr. §. 39, §. 47, annot. 2; Othioth R. Akiba, littera ב, fol. 20, pag. 2:

fidibus canentibus. (Hic laetus et perfectus mundi status ille est mundus futurus toties celebratus, atque haec beata in regno Messiano degenda vita est, quam vitam aeternam nominant.)

10. Nec ullo alio consilio Deum creavisse mundum, nisi ut homines hac beatissima conditione aliquando fruerentur: Mundi finem esse regnum Messianum [86].

ואלף אלפים מלאכי השרת עומדים לפניהם ואוחזים בידיהם כינורות ונבלים ומצלתים, וכל כלי שיר ומרננים לפניהם בסעודה. i. e. Et mille millia angelorum ministerii stabunt coram iis [piis] et tenebunt in manibus tibias, citharas, et cymbala, et omnia instrumenta musica, ac canent coram iis inter coenam.

[86] R. Bechai, comment. ad Pentat., par. Bereschith, fol. 2, c. 1. R. Bechai, postquam locum e Medrasch Rabboth excerpsit, ubi narratio creationis mundi in futuram populi Dei liberationem per Messiam perficiendam applicatur secundum auctoritatem Resch Lakisch, qui docet, res a Deo in creando mundo gestas typos esse rerum in liberatione populi Dei per Messiam gerendarum, explicationem suam hisce verbis claudit: באור המדרש הזה, כי הש"י בפרשה זו מגיד מראשית אחרית והכתוב כיון לרמוז סוף הזמן בתחלת הזמן, להורות כי תכלית כונת הבריאה היא לימות המשיח וזהו תחלת המחשבה סוף המעשה. i. e. Explicatio hujus Medrasch hisce constat: Revelat Nomen, cui bene dicatur [Jehova], hac paraschah unâ cum principio [mundi] finem [ejus], et script. sacra hoc agit, ut significet extremum temporis initio temporis, et doceat *finem* et *propositum creationis* esse *dies Messiae* [i. e. regnum Messianum], secundum axioma illud: primordium consilii est finis facti.

11. Regnum hoc Messianum per mille annos duraturum esse [87].

§. 17. His mille annis regni Messiani praeterlapsis omnia ad Deum reditura esse.

1. Nihil omnino mali amplius fore; malos angelos, geennae poenis defunctos, poenitentiam acturos atque ad Dei partes se conversuros esse, ipsum autem Diabolum, ira ejus in Deum fracta ac delinita, se creatori subjecturum veniamque ab eo impetraturum esse. Alii tamen eum prorsus deletum iri dicunt (cf. 1 Cor. 15, 26.). Denique etiam geennam, purificatam ac sanctam redditam, partem Paradisi fore [88].

2. Tum filium regiam suam potestatem patri traditurum, itaque regnum atque imperium ad Deum ipsum rediturum esse [89].

---

[87] B. Chr. §. 38.

[88] Jalkut Rubeni katon, tit. Gehinnom, Nro. 2:
לעתיד לבא יטהר יצר הרע ויעשה מלאך קדוש, ואף גיהנם יטהר ויתוסף על גבולו של גן עדן.
i. e. Seculo futuro purgabitur concupiscentia mala [i. e. Diabolus], et reddetur sanctus angelus; atque etiam geenna purgabitur atque adjicietur spatio paradisi. — Uberius hanc rem tractat Emek hammelech, fol. 1, col. 3 (a medio usque a finem paginae).

[89] Pirke R. Elieser, perek 11, fol. 12, col. 2, ubi decem a mundo condito enumerantur imperia totum terrarum orbem amplectentia; atque haec leguntur:
מלך התשיעי זה מלך המשיח, שהוא עתיד למלוך מסוף העולם ועד סופו......המלך העשירי חוזרת המלוכה לבעלה, מי שהיה המלך הראשון הוא

3. Quae autem post regnum Messianum futura sint, nemini nisi Deo soli nota esse, omnes uno ore consentiunt [90].

4. Ista sunt quae de corrupto mundi statu, ejusque causis et remediis et futura correctione Judaei credebant [91].

המלך האחרון, שנאמר: אני ראשון ואני אחרון.....
וכתיב והיה יי׳ למלך על כל הארץ, ותחזור
המלוכה ליורשיה. i. e. Nonus rex est rex Messias, qui seculo futuro imperabit ab uno fine terrae usque ad alterum. Sub decimo rege redibit imperium ad dominum suum; qui fuit primus rex [i. e. Deus], is erit ultimus, sicut dictum est (Jesaias **48**, 12): Ego primus et ego ultimus, et sicut scriptum est (Zachar. **14**, 9): Et Dominus [Jehovah] erit rex in totam terram; redibit regnum ad heredem (cf. 1 Cor. **15**, 24.).

[90] Notissimum illud est Talmudi dictum, tract. Schabbath, Ajin Jaakof, Tom. I, fol. 69, col. 3, (quod item invenies: tract. Berachoth, Ajin Jaakof, Tom. I, fol. 37, col. 4, et Medrasch Jalkut, Schimoni ad Jesaiam **64**, 3, fol. 58, col. 2):
כל הנביאים כלם לא נתנבאו אלא לימות המשיח,
אבל לעולם הבא עין לא ראתה. i. e. Omnes prophetae nonnisi de diebus Messiae vaticinati sunt, at vero seculum futurum non conspexit oculus (Jesaias **64**, 3.).

[91] De resurrectione secunda post regnum Messianum initio ultimi hujus regni divini futura (sec. Paulum et Johannem) jam egimus (v. annot. 69.). Bertholdtus in componendo libro suo Apocalypsin Johannis potissimum sequutus longe alium ac nos exhibet ordinem seriemque rerum. Quum vero e libris rabbinicis locos afferre non potuerit, quibus ordinem illum a magistris judaicis probatam esse demonstraret, equidem ita res digerere studui, uti earum inter se nexus postulare videbatur.

CAPUT V.

§. 18. 1. De omnibus his rebus Christiani idem sentiebant atque Judaei, uti loci e libris N. T. allati demonstrant.

2. Eandem igitur de regno Messiano spem Christiani agitabant, atque Judaei. Nec de tempore quidem dissentiebant ab iis Christiani, si quidem Apostoli pariter atque aequales ipsis Judaei persuasum habebant, Messiam proximo tempore adventurum esse (cf. Matth. 16, 28; 24, 34; Marc. 13, 30; Luc. 21, 32; Joh. 21, 22; Tit. 2, 13 sqq.; 1 Thess. 1, 10.). Et Paulus quidem sperabat hoc se vivo futurum esse (cf. Phil. 3, 20 et 21; 1 Thess. 4, 15, 17; 2 Cor. 5, 2, 3, 4.). Neque in nostra epistola Hebraeis inscripta desunt loci, qui eodem spectant (Hebr. 10, 25, 37; cf. Rom. 13, 11, 12.).

3. Omnis inter Christianos et Judaeos dissensio circa solas de ipso Messia ejusque persona opiniones versabatur; quae dissensio originem traxit e doctrina *de* REDEMTIONE *populi Israelitici*, *qua* LIBERATIONI *ejus regnoque Messiano viam praemuniri putabant*. Quae doctrina sic se habet.

§. 19. 1. Judaei sibi persuaserant, summum impedimentum, quominus per Messiam liberarentur regnumque Messianum conderetur, in

suis ipsorum in Deum peccatis ac divinae legis transgressionibus pósitum esse [92]. Namque peccatis suis se Deum sibi adeo infensum [93] reddidisse,

---

[92] Targum Jonathan ad Jesaiam 59, 1 et 2:
הא לא מקפידות ידא מן קדם יי׳ ליורא אתון מתפרקין, ולא מריקיר קדמוהי מלמשמע, לא מתקבלא צלותכון: אלהן חוביכון הוו מפרשין ביניכון לבין אלהכון וחטאיכון גרמו לסלקא אפי שכנתא מנכון מלקבלא צלותכון. i.e. Ecce non propter abbreviationem manus Domini vos non *liberamini*, neque eo quod difficile sit coram ipso audire, non accipitur precatio vestra, sed *culpae vestrae diviserunt inter vos et Deum vestrum*, ac peccata vestra causa fuerunt, ut ablata sit mea praesentia, (Schechinah) a vobis, nec accipiatur precatio vestra (cf. 2Petr. 3, 9.).

[93] Medrasch Tanchuma, par. Bachokothai, fol. 173, pag. 2:
ישעיה אמר: עזבו את ה׳ נאצו את קדוש ישראל אל תאמר עזבו, אלא עוזבו את יי׳. כביכול למה, אלא אני נקראתי ה״ה אל רחום וחנון ומפני עונותיכם עשיתם אותי כאכזרי, והפכתם מדת רחמנותי לאכזריות. שנ׳ היה ה׳ כאויב בלע ישראל. וכן הוא אומר והמה מרו ועצבו את רוח קדשו, ויהפך להם לאויב הוא נלחם בם. לפיכך אמר הושע: מי גרם לכם כל כך, על אשר לא שמעתם ומאסכם אלהי. כי לא שמעו לו. וכתיב בגוים לא תרגיעי. i.e. Jesaias dicit: Dereliquerunt Dominum, irritaverunt Sanctum Israelis (Jesai. 1, 4.). Ne dic עָזְבוּ, i.e. dereliquerunt, sed עוֹזְבוּ [forma Poel], i.e. derelinquere fecerunt Dominum, si fas est dicere. Quid ita? Equidem nominor Dominus Deus misericors et clemens (2 Mos. 34, 6.); *sed propter peccata vestra fecistis me atrocem ac mutastis proprietatem meae misericordiae in atrocitatem.* Ut dictum est

ut puniendi causa, ipsorum servitute producta, Diabolo potestatem in ipsos traderet[94].

2. Ita enim docent: Diabolus infensissimus Judaeorum adversarius, quippe qui a Jehovae partibus stant Deique populus sunt, suo delatoris et punitoris munere utens (v. annot. 4.) quamlibet Judaeorum divinae legis transgressionem speculatur, eaque ad Deum delata Judaeos accusat, nec prius accusatione desistit, quam a Deo potestatem adeptus est in eos ad punienda peccata

---

(Thren. 2, 5.): Factus est Dominus velut inimicus, praecipitavit Israel. Nec non ita dicit (Jes. 63, 10.): *Ipsi ad iracundiam provocaverunt et afflixerunt spiritum suum sanctum, et conversus est eis in inimicum, et ipse debellavit eos.* Itaque dicit Hosea: Quid concitavit vobis haec omnia? Quia non audivistis, ac sprevistis Dominum, nam non audierunt eum (Hos. 9, 17.); et scriptum est (ibidem): inter gentes quietem non capietis (cf. Rom. 1, 18; 2, 8; Joh. 3, 36.).

[94] Medrasch Tanchuma, par. Bachokothai, eodem loco (fol. 173, pag. 2, paullo superius).

אמר הקב"ה לישראל: אם עשיתם את חוקי אין השטן נוגע בכם, שנ' ולא יעבור. אבל אם אינכם עושים חוקי הרי השטן נוגע בכם, שנ' מדי עברו יקח אתכם וגו'....... ואם תקיים את התורה ואת החקים אין מלאך המות נוגע בך וגו'. i. e. Dixit Sanctissimus Israeli: Si observatis statuta mea, Satanas vos non capit, ut dictum est (Job. 14, 5.): Non transibit [ad vos]. Contra, si vos *non observatis statuta mea, ecce Satanas vos capit, ut dictum est* (Jes. 28, 19.): *In transgressione [delicto] tollit vos.* Si vero perficisti legem et statuta, angelus mortis te non capit (cf. Hebr. 2, 14—16; v. annot. 4 et 4 c.).

omnibus suppliciis ac denique morte grassandi [95]

---

[95] Sohar, Tom. II, par. Ba el pharaoh, fol. 32, pag. 2 ad Job. 2, 1:

ויהי היום ויבאו בני האלהים להתיצב על יי׳, ויבא גם השטן וג׳ רבי אלעזר פתח: ויהי היום דא ראש השנה דקב״ה קאים למידן עלמא....... ויבאו בני אלהים, אינון רברבין ממנן שליחן בעלמא, לאשגחא בעובדין דבני נשא. להתיצב על יי׳.....בגין דהני שליחין, דאינון ממנן לאשגחא על עובדין דבני נשא, אזלין ושטאין ונטלין אינון עובדין כלהו. וביומא דקאי דינא למיקם למידן עלמא, אתעבידו קטיגורין למיקם עלייהו דבני נשא. ות״ח. מכל עמין דעלמא לא קיימין לאשגחא בעובדיהון בר בישראל בלחודייהו, בגין דאלין בנין לקב״ה. וכד לא אשתכחו עובדין דישראל כדקא יאות, כביכול אינון ממנן שליחן כד בעאן לקיימין על אינון עובדין דישראל על יי׳ ודאי קיימין. דהא כד ישראל עבדין עובדין דלא כשרן, כביכול מתישין חילא דקב״ה. וכד עבדין עובדין דכשרין יהבין תוקפא וחילא לקב״ה. ועל דא כתיב: תנו עז לאלהים. במה, בעובדין דכשרן. וע״ד בההוא יומא כלהו רברבן ממנן אתכנשו על יי׳. על יי׳ ודאי, דהא כיון דעל ישראל אתכנשו, עליה אתכנשו. ויבא גם השטן בתוכם. גם לאסגאה עלייהו. דכלהו אתיין למהוי קטיגורין עלייהו דישראל. ודא אתוסף עלייהו, בגין דאיהו דילטורא רברבא מכלהו, קטיגורא מכלהו...... וההוא יומא קיימין אלין תרין סטרין לקבלא בני עלמא. כל אינון דאתיין קמי קב״ה בתיובתא ובעובדין טבין, אינון זכיין למהוי כתיבין לגביה דההוא סטרא דאיהו חיים ואפיק תוצאות חיים,

(cf. annot. 4 [b].). Itaque quum nemo sit, qui non

ומאן דאיהו מסטריה אכתוב לחיים. וכל אינון דאתיין בעוברין בישין אינון כתיבין לההוא סטרא אחרא דאיהו מותא, ואקרי מותא וביה שריא מותא.

i. e. Factum est autem quodam die, quum venissent filii Dei, ut starent contra Dominum, venit etiam Satanas inter eos etc. (Job. 2, 1.). R. Elieser explicavit: *Factum est quodam die,* hic est dies novi anni, quo Sanctissimus stat et judicat mundum..... *Quum venissent filii Dei*, hi sunt magni praepositi, legati in terram ad observanda opera filiorum hominum. *Ut starent contra Dominum........,* nam illi legati, qui sunt praepositi observandis operibus filiorum hominum, abeunt, et volitant; et excipiunt omnia illa opera. Atque illo die, quo judicium fit ad dijudicandum mundum, fiunt accusatores atque exsistunt contra filios hominum. Et veni ac vide. *Ex omnibus gentibus terrae* CONTRA NULLAM *stant, ejus opera observantes, nisi contra solos Israelitas, quia hi sunt filii Sanctissimi.* Ac si opera Israelis non talia inveniunt, qualia esse decet, — si fas est dicere, illi praepositi legati, quum stant contra opera illa Israelis, contra Dominum ipsum stant [quippe qui caput est partis, a qua Israelitae stant]. Nam si Israelitae opera faciunt, quae non sunt recta (כשר), si fas est dicere, imminuunt robur Sanctissimi; sin faciunt opera recta (כשר), dant vim ac robur Sanctissimo. Ac de hoc scriptum est (Ps. 68, 35.): Date robur Deo. Quo pacto? Operibus, quae recta sunt (כשר). Itaque illo die omnes magni praepositi se congregant contra Dominum. *Contra Dominum,* nam quum contra Israelitas se congregant, contra eum se congregant. *Ac venit etiam Satanas inter eos. Etiam* [scriptum est], ad eum prae eis augendum; nam omnes quidem venerunt, ut fierent accusatores contra Israelitas, sed hic major est omnibus, quia est delator maximus omnium atque accusator..... Atque illo die stant duae partes ad excipiendos filios mundi. Quicunque venit coram Domino

peccet, in omnes omnino Judaeos dominatur[96]. Quum jam aetas Messiae aequalis viva in regnum Messianum inire debeat, mutato solum corpore (v. annot. 76.), neque quisquam inveniatur, quin propter peccata sua potestati Diaboli ideoque morti obnoxius sit, sponte patet, Messiam advenire non posse, quia nunquam erit aetas, quae ad vive ineundum regnum Messianum sit apta. Itaque Diaboli vi ac potestate, quam propter peccata in homines habet, liberatio Israelis retardatur[97].

---

cum poenitentia et bonis operibus, illi obtingit, ut adscribatur ad illam partem, quae est vita, et ex qua egrediuntur emanationes vitae, et quicunque est ab ejus parte vitae adscribitur. Et omnes *qui veniunt cum operibus malis, ii adscribuntur illi alteri parti, quae est mors et nominatur mors, et in ea habitat mors* (v. annot. 6.).

[96] Sohar, Tom. III, par. Achremoth, fol. 75, pag. 1 (ad Jerem. 17, 4: Vae nobis, quia inclinavit dies, quia *longiores factae sunt umbrae vesperi.)*:

דהא אתיהיב רשו לרברבי ממנן דשאר עמין למשלט עליוהו. i. e. Nam data est potestas magnis praepositis ceterarum gentium [i. e. Diabolo ejusque angelis] dominandi in eos [Israelitas, de iis enim agitur]. (Cf. Rom. 3, 9, conj. cum annot. 6.).

[97] Jalkut Schimoni ad Habakuk, Tom. II, fol. 83, col. 2 in medio:

אמר רבי שמואל בר נחמני: תפח רוחן של מחשבי קצים, שהם אומרים, כיון שהגיע הקץ ולא בא, שוב אינו בא. אלא חכה לו, שנאמר:

3. Ad amovendum igitur hoc impedimentum Judaei ante omnia necessarium putabant poenitentiam peccatorum agere, atque ad accuratiorem legis obsèrvantiam Deique cultum redire (se ad Deum convertere), ut amissam Dei gratiam recuperarent, eumque ad liberationem populi sui efficiendam moverent. Liberationem enim non nisi impetrata ante Dei venia fieri posse facile intelligitur[98]. Hinc notissimum apud eos

---

אם יתמהמה חכה לו. ושמא תאמר, אנו מחכים והוא אינו מחכה. תלמוד לומר: ולכן יחכה יי״ לחננכם ולכן ירום לרחמכם כי אלהי משפט יי״. וכי מאחר שהוא מחכה ואנו מחכים מי מעכב. מרת הרין. i. e. Dixit R. Samuel filius Nachmani: Exstinguantur animae eorum, qui terminos [exilii per adventum Messiae] computant, dicunt enim, si terminus advenit, neque ille venit [Messias], jam non amplius venit [Messias]. Sed exspecta eum, ut dictum est (Habakuk 2, 3.): Etsi moram fecerit, exspecta illum. At forte dixeris: Nos exspectamus, sed ille [Deus] non exspectat. Docet nos [scriptura sacr.] dicens (Jes. 30, 18.): Propterea exspectat Dominus, ut misereatur vestri, ideoque surgit, ut vobis condonet, quia Deus judicii Dominus. At si ille exspectat et nos exspectamus, quis detinet [liberationem]? *Proprietas judicii* [i. e. Diabolus, qui in homines judicium exercet, v. annott. 31, 32, et 4 b.]: (Cf. 2 Thess. 2, 6 seqq.)

[98] Jalkuț Schimoni, Thehillim, Tom. II, fol. 121, col. 4.: הסלח לכל עוניכי הרפא, לכל תחלואיכי הגואל משחת חייכי, למימרא דרפואה וגאולה בתר סליחה היא. i. e. Qui veniam dat omnibus culpis tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui liberat ab interitu vitam tuam (Ps. 103, 3.); his verbis significatur, sanationem et liberationem post datam veniam fieri. (Cf. Luc. 1, 77; Act. 26, 18; 2 Cor. 5, 19, 20; Col. 1, 14.)

erat dictum: Totam liberationem a poenitentia

Hic locus sumtus est e Talmud, tract. Megillah, sect. 2 (Ajin Jaakof, T. I, fol. 190, col. 3.), ubi agitur de ratione, qua series octodecim precum quotidianarum ordinata est:
ומה ראו לומר תשובה אחר בינה. דכתיב: ולבבו יבין ושב ורפא לו. אי הכי, לימא רפואה בתר תשובה. לא סלקא דעתך, דכתב: וישוב אל יי וירחמהו, ואל אלהינו כי ירבה לסלוח. ומאי חזית דסמכת אהא, סמיך אהא. כתיב: קרא אחרינא הסלח לכל עוניכי, הרפא לכל תחלואיכי, הגואל משחת חייכי, למימרא דגאולה ורפואה בתר סליחה היא. והכתיב: ושב ורפא לו. ההוא לאו רפואה דתחלואים היא, אלא רפואה דסליחה היא. i.e. Quid respexerunt, quod dixere [precem de] conversione [quae est quinta] post illam de intelligentia? [quae est quarta]. Quia scriptum est (Jes. 6, 10.): Corde suo *intelligat*, et *convertatur*, et sanabō [i.e. liberabo] eum. [Prius igitur peccata intelligenda sunt, quam conversio fieri potest]. Si hoc ita se habet, quidni dicimus [precem de] sanatione [i. e. liberatione, quae est octava], post illam de conversione? Hoc tibi ne in mentem veniat, nam scriptum est (Jesai. 55, 7.): revertatur ad Dominum, *et miserebitur* ejus, et ad Deum nostrum, quoniam *multus est ad ignoscendum* [i. e. post *conversionem* demum sequitur *venia* Dei, ideoque precatio de venia illam de conversione sequatur necesse est]. Sed quid respexisti, quod hoc loco (Jes. 55, 7.) niteris? Nitere illo [Jes. 6, 10, ubi *sanatio* statim *conversionem* sequitur]. At scriptus est alius versūs (Ps. 103, v. 3 et 4.): Qui veniam dat omnibus culpis tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui *liberat* ab interitu vitam tuam; id quod dicere vult: Liberationem et sanationem fieri post *veniam* datam. Et quod scriptum est: convertatur et sanabo eum, ea non illa est sanatio infirmitatum [liberatio], sed est sanatio *veniae*. [Eadem est causa precis quintae in precatione dominica.]

(vel ut accuratius dicam a reditu ad Deum) pendere [99].

4. Haec poenitentia ad recuperandam quidem Dei gratiam sufficere videbatur, nec vero ad tollendam puniendi potestatem Diabolo concessam. Nam persuasum sibi habebant, Diabolum potestatem homines ad punienda peccata suppliciis et morte persequendi a Deo semel impetratam nunquam demissurum esse, nisi poena sumta animoque suo expleto. Poenam igitur persolvendam esse, sive ab ipso peccatore, sive ab alio, qui peccatoris loco eam subiret et se quasi vicarium praeberet. Diabolum certe de potestate sibi concessa neutiquam desistere [100].

---

[99] Sohar chadasch, par. Noach, (Medrasch hanelam), fol. 21, col. 3 et 4:
רבי אליעזר אמר, כל חגליות שגלתה כנסת ישראל נתן לה הק״בה זמן וקץ. וגלות האחרון אין לו קץ וזמן, אלא הכל תלוי בתשובה. i. e. R. Elieser dixit: omnibus exiliis, in quibus exsul erat ecclesia Israelis, tempus ac terminum constituit Sanctissimus; exilio huic ultimo non est tempus et terminus, sed *totum* ex *conversione* [ex poenitentia] *pendet.* (Cf. Act. 3, 19, 20; Matth. 3, 2; 4, 17.).

[100] Thosephoth Sohar, Tom. III, fol. 304, pag 2 in med.:
כך אורחוי דחויא עילא ותתא, כיון דאתייהיב ליה רשו, לא תב עד דאשלים ההוא דינא בישא דאתייהיב ליה רשו למעבד, או דיתנון ליה באתרי חייבא אחרא בכופרא, דהא בריקנייא לא יפוק, כיון דאתיהיב ליה רשו. i. e. Sic est ratio anguis [Diaboli] su-

5. Quum igitur crederent, Israelitas Messiae aequales vivos in regni Messiani societatem venturos esse (cf. annot. 68; 1 Thess. 4, 15, 17.), morte, cujus in eos Diabolo potestas esset, non obita, (cf. Matth. 16, 28; Marc. 9, 1; Luc. 9, 27.) id nulla alia conditione fieri posse censebant, nisi si quis alius pro iis Diaboli juri satisfaceret, mortemque ab iis per peccata sibi contractam (v. annot. 4 c.) eorum loco subiret, atque hac ratione suae ipsius vitae pretio eorum vitas redimeret, omni mortis inferendae potestate, quam Diabolus in eos habuisset, per hanc mortem vicariam exstincta.

6. Quum vero plures librorum sacrorum loci exstent, in quibus de Messia pro peccatis populi cruciato atque occiso agitur, hos ad aetatem Messiae aequalem e Diaboli potestate per vicarium quendam redimendam spectare arbitrati, Messiam ipsum ad redimendos sibi aequales, et ut Diabolo satisfaceret, moriturum esse statuerunt.

7. Ita ipse Messias pro Dei populo mortem, quam peccatis sibi contraxerunt, subire credebatur (Hebr. 2, 9; 9, 15; 1 Cor. 15, 3; 1 Petr. 3, 18.),

---

perne atque inferne: Simulatque ei tradita est potestas, non redit, donec absolutum est illud malum judicium, ad quod exercendum potestas ei tradita est, aut *donec datus est ei pro reo alius ad expiationem;* nam vacuus non redit, simulac potestas ei tradita est. (Eandem sententiam repetitam invenies in *Sohar chadasch,* parasch. Balak, fol. 43, col. 3. *Emek hammelech* Schaar olam hattohu, fol. 35, col. 1 et 2, et Schaar rescha diser anpin, fol. 124, col. 3.)

suam ipsius vitam pro illorum vitis quasi redemtionis pretium offerens (Matth. **20**, 28; 1 Tim. **2**, 6; Act. **20**, 28; 1 Petr. **1**, 18, 19; Apoc. **5**, 9; Matth. **26**, 28; Rom. **3**, 25.), atque omni mortis inferendae potestate, quam Diabolus in eos habuisset, per hanc mortem vicariam exstincta (2 Timoth. **1**, 10.), eos e Diaboli potestate redimens (Hebr. **2**, 14, 15.).

Diabolo igitur, nec vero Deo, ut ecclesia docet, satisfaciendum esse credebant, ut homines a morte liberari, vivique in regnum Messianum inire possent (Rom. **6**, 10, ubi *ἁμαρτίαν* Diabolum significare probavimus, v. annot. 6; Col. **1**, 13, 14; **2**, 15; 1 Joh. **3**, 8.)[101].

8. Haec est, quam vocant *redemtionem* (*ἀπολύτρωσιν*, פדיון) populi Israelitici e Diaboli potestate per Messiam perficiendam, quae igitur non eadem est, ac perfecta Israelitarum mundique *liberatio* (*σωτηρία*, גאולה), quippe cui redemtio solum viam praemuniat[102].

---

[101] Tikunim in libro Sohar chadasch, fol 82:
כחש אל אחר תבע לשפוך דמא ויתקטיל משיחא.
i. e. *Anguis, Deus alter, postulat, ut effundatur sanguis, et* [ideo] *occidetur Messias.* (Cf. Hebr. **9**, 22; Ephes. **1**, 7.).

[102] Sohar, Tom. I, Hakdamath sepher hassohar, fol. 2, pag. 2:
עאלת את פ אמרה קמיה: רבון עלמין ניחא קמך למברי בי עלמא. דהא פורקנא דאנת זמין למעבד בעלמא בי רשים. ודא הוא פדות ובי יאות למברי עלמא. אמר לה: יאות אנת אבל בך אתרשים פשע בטמירו.
i.e. Ascendit littera P, et dixit coram eo [Deo]: Domine mundorum, facile tibi est mecum mundum creare, nam re-

Duplex igitur distinguendum est Messiae munus, alterum, quo populum Dei redemturus, alterum, quo eum liberaturus est.

9. Ex his omnibus intelligitur redemtionem illam nequaquam ad omnes homines, sed ad Messiae tantummodo aequales pertinere, qui, quum propter peccata in Diaboli potestate sint et mortem commeruerint, nihilo secius mortis expertes in regnum Messianum inituri sint. Nam, qui mortui sunt, iis non amplius opus est, ut ex Diaboli potestate redimantur, quia per mortem suppliciis Diaboli jam defuncti, ejus potestati non amplius subditi sunt, nam in animas ille dominari non potest (v. annot. 5.); et animae flam-

---

demtio illa, quam olim in mundo effecturus es, in me consignata est, et illud est verbum Peduth (redemtio); ideoque decet mecum mundum creare. Dixit vero [Deus] illi: Decet quidem te, sed simul in occulto consignatum est in te peccatum.

Haec obscurius dicta ita explicat commentarius Hadrath melech fol. 34, pag. 2 (ad hunc locum עאלת את פ וכו'):
הכוונה כי יש הפרש בין גאולה לפריון......פריון
זו יש בו מססרא אחרא, כי אין פריון אלא על ידי
דבר אחר שיכנס למקומו לפייס סטרא אחרא כמה
שכתוב: פרעהו מרדת שחת מצאתי כפר.......
אבל הגאולה היא על ידי יתברך ברחמים. i. e. Sensus est, esse discrimen inter Gullah (liberationem) et Pidjon (redemtionem). Redemtioni aliquid inest de parte altera [i. e. de parte Diaboli]; redemtio enim non fit nisi alia re, quae in alicujus locum succedit, ad *placandam partem alteram* [Diaboli], uti scriptum est (Job. 33, 24.): Redime illum a descensu in corruptionem, inveni pretium [redemtionis]....... Sed li-

mis geennae aut jam purgatae atque in numerum justorum receptae, aut omnino deletae sunt (cf. annot. 105, cujus summa est, Messiam cruciatum iri ac moriturum esse ad expianda aequalium sibi Israelitarum peccata).

§. 20. 1. Ab omnibus his doctrinis, quas de redemtione ejusque causis Judaei tradiderunt, Christiani non dissentiebant. Sed de ratione, qua haec populi Israelitici redemtio cum ceteris Messiae partibus concilianda esset, utrique in diversas discedebant sententias.

2. Judaeis enim redimendi illud munus cum reliqua Messiae persona non videbatur conciliari posse. *Duos igitur statuebant venturos esse Messias* [103], unum, qui populum redimeret, ac

---

beratio venit e manu Sanctissimi per misericordiam. (Eundem locum invenies in libro Emek hammelech, Schaar Olam hattohu, fol. 35, col. 2 infra, et Schaar Rescha diser anpin, fol. 125, col. 1 infra.).

Eadem differentia interest inter verba: *λυτρόω*, *λύτρωσις*, *λύτρον* etc. atque inter verba *ῥύομαι*, et *σωτηρία*, cf. Hebr. 9, 15 et 28, ubi auctor epist. Christum *redemtione* (*ἀπολύτρωσις*) per mortem facta, ad perficiendum populi Dei *liberationem* (*σωτηρία*) rediturum esse dicit.

[103] Sohar chadasch, Medrasch Ruth, fol. 68, col. 3 infra (ad Ruth. 4, 6: לא אוכל לגאול לי): מכאן דתרין משיחין אינון, גואל קרוב וגואל רחוק. גואל קרוב מסטרא דימינא, גואל רחוק דא משיח בן יוסף. ומאן איהו, יוסף דאקרי צדיק, ודא איהו משיחא דאתי ראשון ......דהא משיח

liberationi ejus hac ratione viam praemuniret, alterum, qui populum postea liberaret, regnumque Messianum conderet; illum Messiam ben Joseph vel Ephraim, hunc Messiam ben David

---

בן יוסף אתי ויפרוק קדמאה, לבתר אתער ימינא גניזא.........וכדין כתיב: ימין יי׳ רוממה, ימין יי׳ עושה חיל. i. e. Ex hoc discimus: duos esse Messias, liberatorem propinquum, et liberatorem remotum. [De propria liberatoris propinqui significatione, vide interprr. jud. ad Ruth. 3, 12; hoc loco quae significatio sit voci, Sohar ipse paullo ante explicat his verbis: גואל קרוב, יתיר קרוב לפורקן יסגי, קרוב לעלמא דאתי, ימינא עילאה. i. e. liberator propinquus, propinquior magnae liberationi, propinquior mundo futuro, dextra superior. Jam quid sit liberator remotus, ultra patet.] Liberator propinquus est a parte dextra; redemtor remotus est Messias ben Joseph; Quis est is? Joseph, qui nominatur *justus*. Atque is est Messias, qui venit prior; nam ille Messias filius Josephi venit et redimit antea, ac postea excitatur dextra abscondita [hac voce significari Messiam filium Davidi, ex iis, quae supra diximus, patet, atque explicat commentarius Hadrath melech, Tom. II, fol. 153, 2, ubi ad hunc locum adnotatum est: ימינא גניזא הוא משיח בן דוד i. e. dextra abscondita est Messias filius Davidi.], ac tum dicitur (Ps. 117, v. 16.): Dextra Jehovae est exaltata, dextra Jehovae fecit fortitudinem. —

Nec minus Talmud duos Messias fore, statuit; cf. Talmud, tract. Succa, sect. 5, (Ajin Jaakof, Tom. I, fol. 143, col. 2. infra.], (ad Zach. 2, 3: (ויראני יי״ ארבעה חרשים): מאי נינהו ד חרשים. א״ר חנה: א״ר שמעון חסידא: זה משיח בן דוד, ומשיח בן יוסף, ואליהו, וכהן צדק. מתקיף לה ר׳ ששת: אי הכי היינו דכתיב: אלה הקרנות אשר זרו את יהודה, הני יתובי

nuncupantes. Ad quam opinionem amplectendam ea re adducebantur, quod dolores ac mortem in tantum talemque virum, qualis Messias ben David esset, cadere omnino non posse censebant [104]. Ubicunque igitur de expiato-

---

מותבי ליהודה. א"ל: שפיל לסיפיה דקרא: ויבאו אלה להחריד אותם לידות את קרנות הגוים הנשאים קרן אל ארץ יהודה לזרותה. i. e. Ostendit mihi Dominus quatuor fabros (Zach. 2, 3). Quinam hi sunt? Dixit R. Chanan: dixit R. Simeon justus: eos esse Messiam filium David, et Messiam filium Joseph, Eliam, et Sacerdotem justum [Melchisedec]. Objecit R. Scheschith: si ita res est, quid est scriptum (Zach. 2, 2.): haec sunt cornua, quae disperserunt Judam; illi [quatuor] tamen Israelem reducent. Dixit ei: Descende ad finem loci (Zach. 2, 4.): Et venerunt isti ad deterrenda ea [cornua], ut dejicerent cornua gentium, quae sustulerunt cornua super terram Juda, ut dispergerent eam.

[10] Sepher mephoar, fol. 15, col. 2 et 3 supra:
עונותינו גרמו זה שהוצרך שיבא משיח בן אפרים וימות......תרע למה גרמו עונותינו ביאתו של זה לפי שמשיח בן דוד לא יהיה לו שום צרה וצוקה, שלכל צריו ואויביו יפתח פיו וימית אותם כמ"ש: וברוח שפתיו ימית רשע. וזה הכח אינו ניתן למשיח בן אפרים. שנא" עליו: נגש והוא נענה ולא יפתח פיו. לפי שאין לו זה היכולת. הסבה שמעוצר וממשפט לוקח. ירצה העוצר שעצרו ישראל מלעשות תשובה.
i. e.: Peccata nostra effecerunt, ut necesse esset venire Messiam ben Ephraim, ac mori. Scito, cur effecerint peccata nostra adventum illius. Nimirum Messiae ben David non est ulla necessitas et anxietas, nam contra omnes inimicos atque adversarios aperit os, atque occidit eos, ut scriptum est

riis Messiae suppliciis et morte agitur, de Messia ben Joseph cogitandum est [105].

(Jes. 11, 4.): Spiritu labiorum suorum interficiet impium. Verum haec vis non data est Messiae ben Ephraim; de eo dictum est (Jesai. 53, 7.): Vexatus est, quum jam cruciatus esset, neque aperuit os suum. Nam non est ei illa vis; causa est (Jes. 53, 8.), quod ex mora [dilatione poenitentiae] atque ex judicio [propterea in Israelitas edito] sumtus est [habuit originem]; id enim sibi vult mora, quod morati sunt Judaei in facienda conversione [agenda poenitentia].

[105] Jalkut Schimoni, Tom. II, fol. 56, col. 3, e libro Pesikta rabbetha ad Ps. 36, 10: באורך נראה אור, i. e. in luce tua videbimus lucem; (expediet hunc locum fusius adscribere, quoniam Vir clarissimus de Wette in comment. de morte J. Chr. expiatoria p. 99. e libro Afkath rochel locum offert, qui non nisi brevis hujus loci epitome esse videtur, et a Viro docto in Messiam ben David refertur, quum in nostro loco aperte Messias ben Ephraim nuncupetur.):

זה אורו של משיח: שנא״: וירא אלהים את האור כי טוב. מלמד, שצפה הקב״ה בדורו של משיח ובמעשיו קודם שנברא העולם וגנזו למשיח ולדורו תחת כסא הכבוד שלו. אמר שטן לפני הקב״ה, רבונו של עולם אור שנגנז תחת כסא הכבוד שלך למי. א״ל: למי שהוא עתיד להחזירך ולהכלימך בבושת פנים......אמר בוראי זהו משיח שעתיד להפיל לי ולכל האומות בגיהנם, שנא״ בלע המות......באותו שעה התרגשו האומות אמרו לפניו: רש״ע מי הוא זה..... מה שמו. א״ל הקב״ה: אפרים משיח צדקי שמו.....התחיל הק״בה מתנה עמו כשברחו. א״ל: הללו שגנוזים אצלך עונותיהם עתידים להכניסך בעול ברזל ועושים אותך כעגל הזה שכהו עיניו ומשנקין את רוחך בעול ובעונותיהם

של אלו עתיד לשונך להדבק בחכך. רצונך בכך.
אמר משיח לפני הקדוש......רש״ע בגילת לבי
ובשמחת לבי אני מקבל עלי ע״מ שלא יאבד אחד
מישראל ולא חיים בלבד יושעו בימי אלא אף
אותם שגנוזים בעפר.....ולא אלו בלבד אלא אף
נפילים ....ולא נפילים בלבד אלא אף למי
שעלתה על דעתך להבראות ולא נבראו......שנו
רבותינו: עתידין אבות העולם לעמוד בניסן ואומרים
לו: אפרים משיח צדקנו אף על פי שאנו אבותיך
אתה טוב ממנו שסבלת עונות בנינו ועברו עליך
מדות קשות ורעות......וכל אלו מפני עונות בנינו,
רצונך יהנו בנינו מטובה זו שהשפיע הק״בה
לישראל, שמא בצער שציערת עליהם אין דעתך
נוחה מהם. א״ל אבות העולם כל מה שעשיתי לא
עשיתי אלא בשבילכם ובשביל בניכם שיהנו
מטובה זו שהשפיע הק״בה לישראל. אומרים
לו אבות העולם: אפרים משיח צדקנו תנוח דעתך
שהתנחת דעת קונך ורעתינו. i. e. Lux illa est lux Messiae, de qua dictum (Gen. 1, 4.): Deus vidit lucem, quod esset bona. Id nos docet, Deum *providisse in generationem* [aequales] *Messiae eorumque opera*, priusquam mundus creatus esset, et [ideo] reservasse *Messiam ejusque generationem* [aequales] sub throno majestatis suae. Dixit Satan coram Sanctissimo: Domine mundi, lux quae sub throno tuo reservata est, cujus est? Dixit ei, est illius, qui quondam te convertet et pudefaciet te cum rubore faciei.... Dixit: Certe hic est Messias, qui olim projiciet me et omnes gentes in geennam, ut dictum est (Jes. 25, 8): Absorpsit mortem..... Eodem tempore commoventur gentes, dicentes: Domine mundi, quis est ille?...... et quod est nomen ejus?.... Dixit eis Sanctissimus: Ephraim Messias Justificator et nomen ejus...... Et

sibi finxerunt ad exemplar veteris Israelis regum:

---

coepit Sanctissimus pacisci cum eo [Messia], quum illae [gentes] aufugissent, ac dixit ei: *Horum, qui apud te reservati sunt, peccata olim te introducent in jugum ferreum*, et reddent te ut vitulum, cujus oculi sunt obscurati, et cruciabunt spiritum tuum in jugo, ac *peccatis horum* quondam lingua tua adhaerebit palato tuo. Est tuus consensus cum his? Dixit Messias coram Domino...... Domine mundi cum gaudio cordis et laetitia cordis ego id in me suscipio ea conditione, *ut ne unus quidem ex Israele pereat*, neque vivi solum *serventur* in diebus meis, sed et ii, qui in pulvere absconditi sunt [mortui].... et neque illi solum, sed etiam abortivi.... neque solum abortivi, sed etiam illi, quos *creare tibi in mentem venit, sed non creavisti*. [Totum hunc locum, in quo etiam resurrectionem mortuorum non nisi auctore Messia ben Joseph fieri affirmatur, nimis hyperbolice dictum esse, quam ut ad verbum intelligi possit, non est quod exponam. Ultro enim patet, nihil aliud eum sibi velle, ac splendidius exornare sententiam paullo antea enuntiatam: ut ne unus quidem ex Israele pereat.] — Didicerunt magistri nostri, olim resurrecturos esse patres in mense Nisan, dicentes ei [Messiae]: Ephraim Messias Justificator, etsi sumus patres tui, tamen melior es nobis, quia sustulisti peccata liberorum nostrorum, et conditiones molestae et malae tibi acciderunt ..... et haec omnia propter peccata liberorum nostrorum; est voluntas tua, ut fruantur liberi nostri *illo bono* [felicitate regni Messiani], *quod Sanctissimus suppeditabit Israeli?* forte propter perlatam afflictionem, qua afflictus es, mens tua non propensa est in eos? Dicit eis: Patres mundi, *omne quod feci, non feci nisi* propter vos *et propter liberos vestros*, ut *fruantur illo bono, quod suppeditabit Sanctissimus Israeli.* Dicunt ei patres mundi: Ephraim Messias Justificator: Habeat pacem mens tua, quia dedisti pacem menti creatoris tui, et menti nostrae. —

regis Juda et regis Ephraim; et quum majus et

Confer, quae Abarbanel ad explicandum hunc Medraschi locum disserit in libro: Jeschuoth meschiacho, fol. 43, col. 3. Postquam Satanae istud dictum: «certe is est Messias, qui olim projiciet me et gentes in geennam» — pluribus modis interpretari studuit, ita disserere pergit:

עכ״פ נרצה לפרש כל זה על משיח בן אפרים. תהיה הכוונה שהוא יהיה ההתחלה לכל התשועה ולכל הגאולה, לא שישלים הדבר בימיו. ואמנם בענין תנאי היסורים, כיונו לומר לענין משיח בן אפרים במלחמותיו יסוריו ומיתתו...... שכך גזרה חכמתו ית׳ מתחילת הדברים להשלים מירוק עונות האומה....... ולכן אמרו במשל שעשה הק״בה תנאי עם המשיח, וכאלו אמר לו שהיה עתיד לבא בעול ברזל ויסורים קשים בסבת עונותיהם של ישראל הדבקים עמו וגנוזים במחיצתו. והנה יתקיים זה במשיח בן אפרים שיהרג כפי קבלתם ז״ל. ועליו אמר הנביא: והביטו אלי אשר דקרו וספדו עליו כמספד על היחיד ומפני שלימותו נאמר עליו והיה הנכשל בהם ביום ההוא כדוד ובית דוד כאלהים. ר״ל שאותו הנכשל ונהרג במלחמה עם היורד משבט אפרים הנה הוא בחסידתו ובקדושתו ובטהרותיו יהיה כדוד אשר בחר בו ה׳. אך אמנם משיח בן דוד יגדל ממנו בכל שלימות. ועליו אמר: ובית דוד כאלהים ר״ל אותו משיח שבא מבן דוד יהיה כאלהי׳ שהוא שם נאמר על המלאכים הקדושים.

i. e. *Per omnes modos volumus explicare haec omnia de Messia ben Ephraim*, ac sententia est, quod is erit initium totius salutis et totius liberationis, non vero quod ista res [liberatio] perficietur in diebus ejus. Verum quod attinet ad conditionem de castigationibus hoc dicere vult re-

splendidius illud liberandi populi et regni Messiani condendi munus Messiae ben David, i. e. Messiae e familia veterum Judaicorum regum oriundo, attribuerent, alterum Messiam, populi redemtorem, ex decem tribubus futurum esse statuebant.

4. Jam vero supplicia et mortem hujus Messiae ben Joseph Judaei cum ceteris rebus a Messia gerendis, ita conjungebant, ut eum crederent

---

spectu *Messiae ben Ephraim, bellorum, castigationum* et *mortis ejus*, statuisse haec sapientiam Sanctissimi inde ab initio rerum, ut perficeretur abstersio peccatorum populi [Israelitici]. Ideoque dixerunt hac parabola, fecisse Sanctissimum pactum cum Messia, quasi dixisset ei, fore ut veniat in jugum ferreum et in castigationes graves *propter peccata Israelitarum, qui conjuncti sunt cum eo, et reservati in tabulato ejus* [i. e. propter peccata generationis, quae cum eo in paradiso superiore sub throno divino reservatur]. Atque ecce hoc efficietur per Messiam ben Ephraim, qui *interficietur secundum traditionem eorum* [Rabbinorum]. De eo dixit propheta (Zach. 12, 10): Et adspiciunt ad me [Israelitae], quem confixerunt [gentes], et plangent eum planctu quasi super unigenitum. Et propter perfectionem ejus dictum est (ibid. v. 8.): et erit, qui lapsus fuerit ex eis die illa, quasi David; domus David vero quasi Dii. Id dicere sibi vult: Ille lapsus et occisus [Messias] in bello, quamquam est de *tribu Ephraim*, tamen propter pietatem suam et sanctitatem et puritatem est sicut David, quem Deus dilexit. Verum Messias ben David erit major eo in omni perfectione. Deque hoc dictum est (ibid. v. 8.): Domus David quasi Dii. Id dicere sibi vult: Ille Messias, qui venit de filio David, erit ut Dii, id quod est nomen, quod dicitur de sanctis angelis.

decem tribus in Galilaea congregaturum, congregatosque Hierosolymam ducturum, tum bellum illud contra Gog et Magog gesturum, in quo bello fore, ut caperetur et captus cruciaretur atque occideretur [106].

5. Ita hominibus illius aetatis per supplicia et mortem Messiae ben Joseph vicariam e potestate Diaboli redemtis, adituque ad regnum Messianum iis aperto, Messiam ben David liberationem populi sancti ad exitum adducturum esse credebant, bello Dei contra Diabolum suscepto et clade Diaboli confecta [107]. Tum demum, liberatione peracta, Israelitas felicitate illa sperata fruituros esse; ipsius enim redemtionis tempus, quo tempore Deus Diaboli potestati hominum puniendorum satisfacturus esset, ob hanc ipsam causam atrocissimum fore ac plenum calamitatum Messiae et Israeli a Diabolo illatarum [108].

---

[106] B. Chr. §. 17.

[107] Majene hajeschuah, fol. 76, col. 1 infra:

וקבלו ח״זל, שבראשונה יגלה משיח בן אפרים, וילחם עם האומות הבאים לירושלים ויהרג במלחמה. ואחריו יקום משיח בן דוד והוא ימית האויבים וארמילוס.

i. e. Tradiderunt sapientes: Initio se manifestabit Messias ben Ephraim, et bellum geret cum gentibus Hierosolymam venientibus, atque occidetur in bello. Post eum consurget Messias ben David, et is interficiet adversarios et Armillum [Antichristum].

[108] Sepher hamephoar, fol. 17, col. 1 supra:

עת צרה היא להיות נענה יעקב, ועל זה נאמר:

6. In regno Messiano Messiam ben Joseph primum resurrecturum, ac dignitate proximum fore Messiae ben David [109].

Haec Judaeorum est doctrina de redemtione populi Dei per Messiam ben David perficienda.

§. 21. 1. Christiani contra haec duo redimendi ac liberandi munera inter se discrepantia ita in uno eodemque Messia conciliabant, ut ambobus muneribus eum diversis temporibus perfungentem facerent. Quae Christianorum sententia hac fere ratione orta est.

2. Discipuli Jesu ex inopinata (Marc. 16, 11; Luc. 24, 11, 12, 22; Joh. 20, 9.) ejus resurrectione sibi persuaserant, Jesum ipsum Messiam esse, quia, nisi Messias fuisset, ex inferis redire non po-

---

יענך ה׳ ביום צרה, והענייה תהיה עם משיח בן אפרים בלבד, שעדיין באותה שעה לא הגיע עת ישועת הק״בה שיעשה על ידי משיח בן דוד. i. e. Tempus calamitatis est ad affligendum Jacob..., et de eo dictum est (Ps. 20, v. 2.): Affliget te Dominus die calamitatis. Et afflictatio haec erit sub solo Messia ben Ephraim; nondum enim eo momento advenit tempus salutis Dei, quam efficiet per Messiam ben David.

[109] Mikveh Jisrael, fol. 48, col. 1 et 2:
זה המשיח בן יוסף יהרג במלחמת גוג ומגוג, ואחר כן יעמוד בתחיית המתים לקבל שכרו וכבודו. ולא יהיה מלך רק שני למלך בן דוד. i. e. Ille Messias ben Joseph occidetur in bello Gogi et Magogi. Postea vero resurget in vivificatione mortuorum ad accipiendum praemium et honorem. Non vero erit rex, sed solum proximus regi filio David.

tuisset (cf. Rom. 1, 4; Act. 17, 31.). Quum autem Jesu vita ac mors minime cum exspectato illo splendido Messiae adventu conveniret, regnum igitur Messianum initium nondum cepisse pateret, conjungere inter se duas istas sententias sibi contrarias non poterant, nisi statuendo: vitam Jesu ad illud usque tempus peractam, nihil aliud esse, quam eam Messiani muneris partem, quae ad expiandum et redimendum populum Dei spectaret (Luc. 24, 25—27, 46 et 47; Act. 26, 23; Gal. 4, 4 et 5; Philipp. 2, 7 et 8.).

3. Quam in sententiam quum semel incidissent multis rebus, quae adhuc offensione non carebant, lux oborta est. Ita enim perspicuum fiebat, qua ex causa Jesum tam tenui loco nasci (Matth. 2, 23; 4, 13 sq.), tantis doloribus affligi, postremo mori oportuisset (Luc. 24, 25 sq., 46, 47). Simul haec opinio spem regni Messiani proximo tempore affuturi quam maxime confirmabat. Etenim quum prior Messiae in terram adventus ad praeparandum regnum Messianum jam usu venisset, reditus ejus ad id condendum procul abesse cogitari non poterat.

4. Duplicem igitur Messiae adventum statuebant Christiani, alterum ut redemtione populi Israelitici regnum Messianum praepararet, alterum ut ipsum regnum constitueret (Hebr. 9, 28.). Priore Messiam ex femina stirpis Davidicae natum (Matth. 1, 1 sq.; Luc. 3, 23 sq.), quum adolevisset, populares suos ad poenitentiam agen-

dam hortari (Matth. 4, 17.), ac morte sua, qua se ipsum Diabolo quasi redemtionis pretium pro populo exhiberet, populum in gratiam cum Deo reducere (1 Petr. 3, 18.) et ex potestate Diaboli redimere, postremo, munere expiatorio peracto, e mortuis resuscitatum ad Deum in coelum redire (1 Cor. 15, 3—8.); quibus rebus populum ad excipiendum regnum Messianum praeparatum esse credebant. Altero adventu Messiam ducis et regis munere fungentem ad vincendum Diabolum et regnum Messianum constituendum rediturum esse sperabant (Hebr. 9, 26—28; Act. 3, 19—21.). Vel ut Cyrillus ait (Catech. XI, pag. 108.): *χριστοῦ παρουσίαν καταγγέλλομεν οὐ μίαν μόνον, ἀλλὰ καὶ δεύτερον τῆς προτέρας πολὺ καλλίονα, ἡ μὲν γὰρ ὑπομονῆς εἶχεν ὑπόδειξιν, ἡ δὲ θείας βασιλείας φέρει τὸ διάδημα*; i. e. non *unum tantum* sed etiam *secundum Christi adventum annuntiamus* priore longe splendidorem, ille enim tolerantiam [miseriarum ad redimendum populum Dei] ostendit, hic vero divini regni [Messiani] fert diadema (v. Suiceri thesaurum eccles. P. II. p. 603 sub verbo *παρουσίας*).

Semel autem Messiam in persona Jesu jam advenisse ea re probari putabant, quod per Jesu vitam, mortem, ac resurrectionem ea sacrorum librorum vaticinia, quae de suppliciis Messiae patiendis agunt, ad effectum adducta essent (Cf. Marc. 15, 28, et Luc. 22, 37, etc.). Alterum illum Messiae adventum eodem, quo caeteri quoque

Judaei, tempore fore sperabant, proximo nimirum (vide supra §. 18, 1.).

§. 22. Judaei igitur duos Messias fore statuebant, alterum redimentem alterum liberantem Israelitas; Christiani contra unius ejusdemque Messiae duos adventus, priorem ad redimendum, alterum ad liberandum populum Dei. Liberationem autem populi per Messiam perficiendam utrique proxime futuram sperabant, quem quidem Messiam Christiani neminem nisi ipsum Jesum fore confidebant (cf. Act. 1, 11; 4, 12.).

CAPUT VI.

§. 23. Ista una igitur sententia Christiani a Judaeis dissentiebant, antequam Paulus novae doctrinae auctor exstitit, docens: legem Mosaicam omnino nulli Christianorum amplius observandam esse. Atque judaici Christiani, quum Pauli doctrinam constanter rejicerent, ne posterioribus quidem temporibus habebant, quo a Judaeis discederent, praeter illam de Jesu Messia doctrinam.

§. 24. Mutationem illam a Paulo factam antequam exponemus, quaedam de ejus origine praemoneamus.

1. Christiani Antiocheni erant maximam partem pii gentiles [110] (Deum metuentes, *σεβόμενοι τὸν Θεὸν*, i. e. Jehovam colentes: Act. 11, 20; 15, 7, 19.) i. e. tales, qui Jehovae cultum sequerentur,

---

[110] Jad chasakah, Hilchoth Issure biah, perek XIV, sect. 7, fol. 160, pag. 1:
אי זה הוא גר תושב. זה עכו״ם שקבל עליו שלא יעבור עכו״ם עם שאר המצות שנצטוו בני נח ולא מל ולא טבל. הרי זה מקבלין אותו, והוא מחסידי אומות העולם.
i. e. Quis est advena inquilinus? Idololatra, *qui suscepit, idola non colere, una cum ceteris praeceptis,* quae data sunt filiis Noachi, *qui vero non est circumcisus,* neque baptizatus; ecce talem excipiunt [Judaei] apud se, et is est e *piis gentium mundi.* (Cf. Act. 15, 19, 23 sqq.)

ac Noachi praecepta [111] observarent; quos gentiles Judaei *advenas, peregrinos inquilinos* (גר תושב, proselytas portae) nominabant, propterea quod ipsis permissum erat, ejusmodi hominibus habitationem in terra Israelis inter ipsos concedere, ut ait Maimonides [112].

2. Jam vero inter magistros rabbinicos dissensio erat, num hi pii gentiles regni Messiani participes esse possent, nec ne. Schola lenioris Hillel, cujus discipulus fuit Pauli magister Gamaliel Act. 22, 3.), posse contendebat, Schola asperioris Schammai negabat [113].

---

[111] Talmud, tract. Sanhedrin, sect. 6. (Ajin Jaakof, Tom. II, fol. 162, col. 4 infra):

תנו רבנן: שבע מצות נצטוו בני נח, דינין, וברכת השם, עבודה זרה, גילוי עריות, ושפיכות דמים, גזל, ואבר מן החי.

i. e. Didicerunt rabbini nostri: Septem sunt praecepta, quae praecepit Deus filiis Noachi: De judiciis [exercendis], de benedicendo nomini [Jehovae, i. e. de colendo Jehova], de cultu alieno [idolorum vitando], de retectione impurarum nudationum [non facienda; impura nudatio nominatur femina, quam in matrimonio habere ob consanguinitatem non licet, ut matrem, sororem etc.], de effusione sanguinis et de raptu [vetitis], ac de membro vivi animalis [non edendo, Genes. 9, 4.]. (Cf. Act. 16, 20, 29.).

[112] Jad chasakah, Hilchoth Issure biah, perek XIV, sect. 7, fol. 160, pag. 1:

ולמה נקרא שמו תושב. לפי שמותר לנו להושיבו בינינו בארץ ישראל:

i. e. Quare nominatur *inquilinus*? quia permissum est nobis, eum habitare sinere inter nos in terra Israel.

[113] Talmud, tract. Sanhedrin, sect. 11. (Ajin Jaakof, Tom. II,

3. Christiani judaici, qui Hierosolymae vivebant, ad Schammai sententiam propensiores erant (Act. 15, 1.); Paulus autem, magistrum suum secutus, Hillelis sententiam probabat (Act. 15, 2.).

---

fol. 193, col. 1, ad explicanda verba Mischnae: בלעם הוא
דלא אתי לעלמא דאתי, הא שאר כותים אתו.
i. e. Bileam non venit in mundum futurum, sed reliqui Samaritani veniunt.):

מתניתן מני. ר׳ יהושע היא. דתני ר״א אומר:
ישובו רשעים לשאולה כל גוים שכחי אלהים.
ישובו רשעים לשאולה אלו פושעי ישראל, כל גוים
שכחי אלהים אלו עכו״ם. דברי ר״א. אמר לו ר׳
יהושע: וכי נאמר בכל הגוים, והלא לא נאמר
אלא כל גוים שכחי אלהים. אלא ישובו רשעים
לשאולה. מאן נינהו כל גוים שכחי אלהים.

i. e. Unde habemus hanc mischnam? Habemus eam a R. Jehoschua. Nam didicimus: R. Eliesar dixit [ad Ps. 9, 18): Redibunt impii in infernum, omnes gentes, quae obliviscuntur Deum. «Redibunt *impii* in infernum», hi sunt peccatores Israelis: «omnes gentes, quae obliviscuntur Deum, hi sunt cultores stellarum et planetarum. Haec verba sunt R. Eliesaris. [Secundum eum igitur omnes gentes eadem conditione utuntur, ut peccatores Israelis, i. e. damnantur.] Dixit ei R. Jehoschua: Num dictum est de *omnibus* gentibus, àn non solummodo dictum est de *omnibus iis gentibus, quae Deum obliviscuntur?* [i. e. nonnisi de iis gentilibus, qui Jehovam Deum non agnoscunt neque colunt]. Immo *impii* [tantummodo] redibunt in infernum. Qui sunt hi? Omnes *illae* gentes, quae *Deum obliviscuntur* [Jehovam non agnoscunt neque colunt. Ex quo patet: Gentiles Jehovam Deum agnoscentes ac colentes non in geennam ituros esse, sed mundi futuri, i. e. regni Messiani participes fore.] Eadem res paullo dilucidius narratur in Jalkut Schimoni,

4. Neque aliter apud gentes tantum efficere potuisset, quantum effecit. Etenim si pii gentiles solis Noachitarum praeceptis observandis regni Messiani participes fieri poterant, facillimum erat coetus cultorum Jehovae inter gentiles condere, quippe qui affluerent, ut tam commoda conditione regni Messiani cives fierent; a concupiscenda autem hac civitate non alienos illo tempore fuisse gentiles ea re patet, quod rumorem de condendo quodam Judaeorum imperio, i. e. de regno Messiano, per totum orientem percrebuisse etiam gentiles scriptores referunt (Sueton. in Vespasian. c. 4. Tac. Hist. Lib. V. c. 13.). Contra si ad accipiendam civitatem illam sola Noachiticorum praeceptorum observatio non sufficiebat, sed ju-

---

Tom. II, Thehillim, fol. 92, col. 4 infra (ad verba Psalmi 9, 18: ישובו רשעים לשאולה כל גוים שכחי אלהים. i. e. Redibunt impii in infernum, omnes gentes, quae obliviscuntur Deum.):

ר' אליעזר אומר: כל הגוים אין להם חלק לעולם הבא. אמר לו ר' יהושע: אלו נאמר כל גוים ושתק, יפה היית אומר. ומה תלמוד לומר כל גוים שכחי אלהים, הוי אמר ברשעי אומות העולם הכתוב מדבר.

R. Eliesar dixit: Omnes gentes partem non habent mundi futuri. Dixit ei R. Jehoschua: Quodsi dictum esset: Omnes gentes, ac tum taceretur, bene dixisses. Quid vero nos docet illud, quod dicitur: omnes gentes, *quae obliviscuntur Deum?* Hoc vult, de *impiis* e gentibus mundi scripturam loqui [solos impios e gentilibus in geennam venturos esse, pios vero gentiles regni Messiani participes futuros esse].

stus atque omnibus numeris absolutus transitus ad religionem judaicam faciendus erat, i. e. quum omnibus praeceptis Mosaicis, tum vero legibus de puro et impuro ac de circumcisione satisfaciendum erat, periculum erat, ne pauci admodum ad Deum colendum se converterent, namque observatio moris Judaici et magnam molestiam ad usum quotidianum vitae civilis habebat, et vulgo derisui erat.

5. Quum igitur legati Christianorum Hierosolymitanorum Antiochiam venissent, qui imperarent, ut Christiani genere gentiles plane ad religionem judaicam transirent, legem mosaicam observarent, et circumciderentur, perfecti igitur Judaei (advenae, peregrini justitiae גרי צדק) fierent, si regni Messiani civitatem obtinere vellent, (Act. 15, 1, conj. cum Gal. 2, 11 — 13.), Paulus eorum sententiae summa vi repugnavit (Act. 15, 2; Gal. 2, 14, 15, 16.). Defendebat enim, gentiles, dummodo Jehovam Deum et dominum, Jesumque Messiam agnoscerent (id enim sibi volunt verba: πιστεύειν εἰς Θεὸν καὶ Ἰησοῦν, credere in Deum et Jesum, quod vulgo vertunt fidem habere Deo et Jesu), solis Noachi praeceptis observandis cives regni Messiani fieri (beatos reddi, mundi futuri participes fore, victuros esse etc.); ad hunc enim finem nequaquam necessariam esse totius legis Mosaicae observationem. (Cf. Rom. 1, 18 — cap. 7 inclus., et cap. 10; Gal. 2, 15 sq., et cap. 3 et 4.).

6. Haec est celebratissima illa Pauli de fide

(πίστις) doctrina, qua per solam fidem sine legum Mosaicarum observatione beatitatem, i. e. civitatem regni Messiani, conciliari posse docebat. Hanc doctrinam consuevimus Pauli peculiarissimam habere, atque eam, quae disciplinae judaicae maxime sit contraria. Ad quam opinionem illustrandam atque ex parte corrigendam haecce disserere expediet.

§. 25. Quod Paulus docebat: civitatem regni Messiani sola fide, non observata lege Mosaica, impetrari posse, hoc minime novum est ipsius commentum, sed doctrina cum vera et genuina Judaica disciplina prorsus consentanea, dummodo ad neminem nisi pios gentiles referatur.

1. Primum enim, cuncta, quae Paulus de fide ejusque vi ac merito praedicat, a magistris rabbinicis probantur. Namque etiam magistri rabbinici fidem ad adipiscendam regni Messiani civitatem prorsus necessariam esse dicunt, docentes: neminem, nisi qui (ut hebraica utar dicendi formula) et in Jehovam Deum et in Messiam ejusque regnum credat, et paradisi et regni Messiani civem fieri posse [114]. Nec minus patres, inprimis

[114] R. Bechai commentar. ad Pentat., par. beschalach, fol. 54, col. 4 supra (ad verba 2 Mos. 14, 31: ויראו העם ויאמינו וגו׳ i. e. timuit populus et crediderunt etc.):
היראה והאמונה עקר לכל התורה. וכתב רבינו חננאל כי האמונה מתחלקת לארבעה חלקים: אמונה בהקב״ה, שנאמר: האמינו בה׳ אלהיכם ותאמנו, וזהו שכתוב: ויאמינו בה׳ ובמשה עבדו:

Abrahamum, hujus fidei exempla proponunt, atque ipsi ejusque posteris propter solam fidem,

---

אמונה בנביאים, שנתחייבנו לשמוע דבריהם, שנאמר: מי האמין לשמועתנו: אמונה בעולם הבא; שיש להאמין כי יש עולם הבא ויש שכר טוב מעותד לצדיקים, וזהו שאמר דוד ע"ה: לולי האמנתי לראות בטוב ה': אמונה בביאת הגואל שזה פנה גדולה בתורה, וזהו שנאמר: הנני יוסד בציון אבן אבן בחן פנת יקרת מוסד המאמין לא יחיש. וכל המאמין יש לו זכיות הרבה. הוא שנאמר באברהם, שהיה שרש האמונה: והאמין בה' ויחשבה לו צדקה. והנה הוא זוכה לגן עדן שנאמר: פתחו שערים ויבא גוי צדיק שומר אמונים. וזכה לחיי העולם הבא שנאמר: וצדיק באמונתו יחיה. ומי שאינו מאמין בכל אלו עליו הכתוב אומר: לא יאמין שוב מני חשך וצפוי הוא אלי חרב. ואינו זוכה לגאולה שנאמר: וברותי מכם המורדים והפושעים בי. וכתיב: אמונים נוצר ה' ומשלם על יתר עושי גאוה, פירש ה' ית' נוצר אמונים ועל אותן שאין בהם אמונה משלם עונשם כי הם עושים בגאוה ואינו זוכה לחיים שנאמר: הנה עופלה לא ישרה נפשו בו וצדיק באמונתו יחיה. עכ"ל הרב ז"ל.

i. e. Timor [Dei i. e. Jehovae cultus] et fides sunt principium totius legis. Ac scripsit magister noster Chananel, fidem esse partitam in quatuor partes: 1ª. Fides in Deum (cf. Jac. **2**, 19; Hebr. **6**, 1; **11**, 6.), ut dictum est (2 Paralip. **20**, 20.): Credite in Domino Deo vestro, et securi eritis; atque id est, quod scriptum est (nostro loco 2 Mos. **14**, 31.): et crediderunt in Deum et Moysen servum ejus. 2ª. Fides in prophetas [Luc. **16**, 29; **24**, 25; Joh. **5**, 46; Act. **26**, 27.), obligati sumus ad audienda verba eorum, ut dictum est (Jes. **53**, 1.): Quis credidit nuntio nostro? 3ª. Fides in mundum futurum; quod credendum est, esse mun-

quam Deo habuit, hujus et futuri mundi haereditatem promissam esse contendunt [115], ita ut in

---

dum futurum, atque esse bonum praemium, destinatum justis (cf. Hebr. 3, 18, 19; 4, 1—13; 11, 6.), atque id est quod David dicit (Ps. 27, 13.): Nisi credidissem videre bona Domini etc. 4ª. Fides in adventum liberatoris [salvatoris] (cf. 1 Joh. 3, 13; Gal. 2, 16.), nam hoc magnum est columen legis; atque id est quod dictum est (Jes. 28, 16.): Ecce fundavi in Zion lapidem, lapidem probationis, columen pretiosum, fundatum, qui crediderit non confundetur (cf. 1 Petr. 2, 6.). *Omni, qui credit, multa sunt merita.* Id est quod dictum est de Abrahamo, qui erat radix fidei, (Genes. 15, 6.): *Credidit in Deum*, et *reputatum est illi ad justitiam* (cf. Rom. 8, 22; Gal. 3, 6.). Et *ecce haec [fides] meretur paradisum* (cf. Luc. 23, 40—43), ut dictum est (Jes. 26, 2.): Aperite portas [paradisi], et ingrediatur gens justa, observans fidem; *et meretur vitam mundi futuri* (cf. Joh. 5, 24; Rom. 1, 16, 17.), ut dictum est (Habak. 2, 4.): justus in fide sua vivet (cf. Rom. 1, 17.). Et qui non credit in haec omnia, de eo dicit scriptura (Hiob 15, 22.): Non credit, *redit in tenebras*, et insidiatur ei gladius (cf. Marc. 16; 16.). *Neque dignus est liberatione*, ut dictum est (Hesek. 20, 38.): Eligam e vobis contumaces et deficientes a me; ac dictum est (Ps. 31, 24.): credentes custodit Deus, et retribuet abundanter facientibus superbiam; hoc est: Deus, cui benedicatnr, costodiet credentes, et iis, qui fidem non habent, retribuet poenas, nam superbia id faciunt. *Neque dignus est vita* [in mundo futuro] (cf. Joh. 3, 36; Hebr. 3, 18.; 4, 6.); ut dictum est (Habak. 2, 4.): Ecce, qui temerarius [incredulus] est, non recta [felix] est anima ejus in ipso, justus autem in fide sua vivet (Hebr. 10, 38.). Hactenus verba Rabbi, cujus memoriae benedicatur.

[115] Jalkut Schimoni, Tom. I, par. Vajehi beschalach, fol. 69, col. 3.:

libris rabbinicis totam Pauli argumentationem

ויאמינו ביי' ובמשה עבדו. בשכר אמנה שהאמינו שרת עליהם רוח הקדש, ואמרו שירה. אז ישיר משה ובני ישראל. ר' נחמיה אומר מנין אתה אומר שכל המקבל עליו מצוה אחת באמונה כדאי הוא שתשרה עליו רוח הקודש. שכן מצינו באבותינו שבשכר אמנה שהאמינו שרת עליהם רוח הקודש ואמרו שירה. אתה מוצא שלא ירש אברהם העולם הזה והעולם הבא אלא בזכות אמנה שהאמין, שנאמר: והאמין ביי'. וכן את מוצא שלא נגאלו אבותינו ממצרים אלא בזכות אמנה שהאמינו, שנאמר ויאמן העם. וכן הוא אומר: אמונים נוצר יי'... מזכירין אמנת אבות: אהרן וחור תמכו בידיו וגו'. זה השער ליי' צדיקים יבואו בו, בבעלי אמונה מהו אומר. פתחו שערים ויבא גוי צדיק שומר אמונים. השער הזה כל בעלי אמונה נכנסין בו. וכן הוא אומר: טוב להודות ליי' וגו'. מי גרם להם לבא לידי שמחה זו, אלא בשכר אמנה שהאמינו אבותיהם בעולם הזה שכלו לילות לכך נאמר, להגיד בבקר חסדך. וכן יהושפט אמר לעם: האמינו ביי' אלהיכם ותאמנו, האמנו בנביאיו ותצליחו. יי' עיניך הלא לאמונה. צדיק באמונתו יחיה חדשים לבקרים רבה וגו'. וכן את מוצא שאין הגליות מתכנסות אלא בשכר אמנה, שנאמר: אתי מלבנון כלה. וארשתיך לי לעולם לי באמנה. הא גדולה האמונה לפני מי שאמר והיה העולם שבשכר אמונה שהאמינו שרתה עליהם רוח הקודש ואמרו שירה שנאמר ויאמינו ביי' ובמשה עבדו אז ישיר משה. וכן הוא אומר ויאמינו בדברו ישירו תהילתו. i. e. Crediderunt in Deum et Moysen servum ejus; tunc dixit Moyses cum filiis

omnesque, quibus uti solet, locos probantes reperire possis.

Israel Domino canticum (2 Mos. 14, 31 et 15, 1.). In praemium fidei, quam crediderunt, quievit spiritus sanctus super eos et dixerunt canticum. R. Nehemia dixit: Unde dicis: quicunque receperit in se *praeceptum unum cum fide*, eum dignum esse, in quo quiescat spiritus sanctus? (cf. Act. 19, 2; 15, 8; Gal. 3, 2; 5 14.). Invenimus apud patres nostros, in praemium fidei, quam crediderunt, quievisse super eos spiritum sanctum, eosque dixisse canticum. *Invenis non hereditasse Abrahamum mundum hunc et mundum futurum, nisi propter meritum fidei, quam credidit* (cf. Rom. 4, 13 sqq., 22; 8, 22; Gal. 3, 6.), ut dictum est (1 Mos. 15, 6.): Credidit Abraham in Deum, et reputatum est illi ad justitiam (cf. Rom. 4, 3.). Atque invenis, non liberatos esse patres nostros ex Aegypto, nisi propter meritum fidei, quam crediderunt (Hebr. 11, 27, 29.); ut dictum est (2 Mos. 4, 31.): credibit populus; ita quoque dicit (scriptura Ps. 31, 24.): Credentes servat Deus. Mentio facta est fidei patrum (2 Mos. 17, 12.): Aharon et Cher sustentarunt manus ejus [Moysis] ex utraque parte, et fuerunt manus ejus fides. Porro (versus ille Ps. 118, 20.): haec est porta Domini, justi intrabunt in eam, explicatur de fidelibus [credentibus], nam dicit (Jes. 26, 2.): Aperite portas, et ingrediatur gens justa, observans fidem. In hanc portam [mundi futuri, vel regni Messiani] intrabunt omnes fideles. Porro ita dicit (scriptura Ps. 92, 1.): Bonum est laudare Dominum [in mundo futuro] ad annuntiandum *mane* misericordiam tuam, et *fidem tuam* per noctem. Quid efficit iis, ut *perveniant ad hoc gaudium* [in mundo futuro]? Id *fit solum in praemium fidei*, quam crediderunt patres eorum in hoc mundo, qui totus est nox, quapropter dictum est: ad annuntiandam misericordiam tuam *mane* [in mundo futuro] et fidem tuam *per noctem* [in hoc mundo]. Porro ita dixit Jehosaphat populo (2 Paralip.

2. Tum a Rabbinis quoque conceditur, pio gentili, ut in societatem regni messiani veniat, non necesse esse legem Mosaicam

---

20, 20.): Credite in Dominum Deum vestrum, et securieritis, credite prophetis ejus et cuncta evenient prospera. Porro scriptum est (Jerem. 5, 3.): Domine, oculi tui respiciunt fidem; et (Habakuk 2, 4.): justus in fide sua vivet; et (Thren. 3, 23.): Novae sunt diluculo [miserationes tuae], multa est fides tua. Atque ideo quoque invenis, captivitatem Israelis non congretum [Israelem non liberatum] iri, *nisi in praemium fidei*, ut dictum est (Cantic. canticorum 4, 8.): Mecum de Libano sponsa mea, mecum de Libano inibis, cantabis e summa fide; et (Hosea 2, 19.): sponsabo te mihi in sempiternum, et sponsabo te mihi *per fidem*. En quam magna est fides coram eo, qui locutus est et fuit mundus. Nam in praemium fidei, quam crediderunt, quievit super eos spiritus sanctus, et dixerunt canticum, ut dictum est (loco laud.): Crediderunt in Deum et Moysen servum ejus, tunc *dixit Moyses canticum*. Atque ita dicit (scriptura Ps. 105, 12.): Et crediderunt verbis ejus et laudaverunt laudem ejus. (Decem ejus generis cantica in scripturis sacr. memorari dicunt, ac decimum in mundo futuro dictum iri credunt, cf. Rabba Schemoth, par. beschallach, fol. 140, col. 1. ad verba (cantic. cantic. 5, 8.): cantabis e summa fide):

עתידין ישראל לומר שירה לעתיד לבא, שנאמר: שירו ליי' שיר חדש כי נפלאות עשה. ובאיזה זכות אומר ישראל שירה. בזכות אברהם שהאמין בהב"ה, שנאמר: והאמין ביי' היא האמונה שישראל נוחלין בה. ועליו הכתוב אומר: וצדיק באמונתו יחיה.

i. e. Olim dicet Israel canticum in mundo futuro, ut dictum est (Ps. 98, 1.): Cantate Deo canticum novum, quia mirabilia fecit. Et propter cujus meritum dicet Israel can-

observare, sed ad hunc finem sufficere solam praeceptorum Noachiticorum observationem ex fide in Jehovam ortam [116], quum lex Mo-

---

ticum? Propter *meritum Abrahami, qui credidit* in Deum, ut dictum est (1 Mos. 15, 6.): Credidit in Deum, et reputatum est illi ad justitiam. Fides est, per *quam Israel hereditat* [mundum futurum], et de ea dicit scriptura (Habak. 2, 4.): Justus in fide sua vivet. — (Eundem, quem supra e Jalkut Schimoni excerpsimus locum, etiam in Tanchuma par. beschalach fol. 75, 1. invenies.)

[116] Jad chasakah, Tom. IV, Hilchoth Melachim, perek VIII, sect. 10 sqq., fol. 161, pag. 2:
משה רבינו לא הנחיל התורה והמצות אלא לישראל, שנאמר: מורשה קהלת יעקב, ולכל הרוצה להתגייר משאר האומות, שנאמר: ככם כגר. אבל מי שלא רצה אין כופין אותו לקבל תורה ומצות. וכן צוה משה רבינו...לכוף את כל באי העולם לקבל מצות שנצטוו בני נח.... והמקבל אותם הוא הנקרא גר תושב.....כל המקבל שבע מצות ונזהר לעשותן הרי זה מחסידי אומות העולם, ויש לו חלק לעולם הבא. i. e. Moyses magister noster non possessionem dedit legis et praeceptorum nisi Israelitis, ut dictum est (5 Mos. 33, 4.): Legem praecepit nobis Moyses, hereditatem ecclesiae Jacob; et omni qui vult in ecclesiam recipi e reliquis gentibus, ut dictum est (4 Mos. 15, 15.): Unum praeceptum erit atque judicium tam vobis quam advenis terrae. *Sed, qui non vult, is non cogitur excipere legem et praecepta. Praecepit vero Moyses magister noster, cogere omnem advenam mundi* [e gentibus] *excipere praecepta, quae data sunt filiis Noach.* Quisquis accipit septem praecepta, et admonitus est ad ea facienda, is est e *piis gentium mundi, ac partem habet mundi futuri* (Cf. Act. 15, 10, 28.).

saica solis Judaeis, neque vero gentilibus, data sit [117].

3. Huc denique accedit, quod sententia scholae Hillelis, quam sequutus Paulus docuit: pium gentilem, qui Jehovam coleret, et praecepta

---

Non tamen satis est ad obtinendam regni Messiani societatem praecepta Noachitica observare, sed necesse est ea observari ea de causa, quod Deus ea per Moysen praeceperit. Itaque si quis ea sine cognitione Jehovae ejusque legis per Moysen datae suapte sponte observat, is inter pios gentilium non numeratur, neque societatem regni Messiani obtinet. Quare Maimonides loco, quem laudavimus, haec adjicit:
והוא שיקבל אותן ויעשה אותן מפני שצוה בהן הקב״ה בתורה והודיענו על ידי משה רבינו שבני נח מקודם נצטוו בהן. אבל אם עשאן מפני הכרע הדעת. אין זה גר תושב ואינו מחסידי אומות העולם. i. e. Et is [pius e gentibus mundi] est, qui accipit ea [praecepta Noachitica] et facit ea, *propterea quod praecepit ea Sanctissimus per Moysen magistrum nostrum*, ut quae filiis Noachi olim jam praecepta sunt. *Sed qui facit ea, propterea quod ratio eum movet, is non est advena inquilinus neque e piis gentium mundi.* (Quae conditio lucem dat v. 21 cap. 15 Actor. Apost.)

[117] R. Bechai comment. ad Pentat., Pars II, par. Vesoth habberachah, fol. 53, col. 1. in med.:
מן הידוע כי ארבעה דברים הם, שלא זכתה בהן שום אומה ולשון אלא ישראל, ואלו הן הנבואה והתורה וארץ ישראל ותחיית המתים. i. e. Sciendum est, quatuor res esse, quibus non digna est ulla gens vel lingua, nisi Israel, et eae sunt: prophetia, et *lex* (cf. Rom. 9, 4.), et terra Israel, et vivificatio mortuorum; et paullo inferius dicitur:
כי לא נתנה התורה אלא לקהלת יעקב ואין מי

Noachitis data observaret, regni Messiani civem fore, ab omnibus Judaeis postea comprobata est. Nam magistri rabbinici placita scholae Schammai ob nimiam ejus asperitatem repudiaverunt, et sententias scholae Hillelis amplexi sunt [118].

4. Tota igitur Pauli doctrina e disciplina judaica desumta est, et cum doctrina magistrorum talmudicorum consentit.

§. 26. Quam Pauli doctrinam ut penitus perspiciamus, eam cum ceteris disciplinae judaicae partibus conjunctim consideremus.

1. Secundum doctrinam judaicam totus mundus in duo divisus erat regna hostiliter sibi opposita et jam jam pugnam extremam initura. Dei partes ex iis constabant, qui Jehovam Deum

---

שיזכה בה כי אם יעקב לבדו וכל המתקהל עמו. i. e. namque lex non est data nisi ecclesiae Jacob [Israeli], neque quisquam ea dignus est nisi Jacob [Israel] solus, et unusquisque, qui *recipitur in ecclesiam* [nemo igitur nisi *advena justitiae,* i. e. ille peregrinus, qui recepta circumcisione et baptismate omnibus numeris fit Judaeus]. Confer annott. 63. et 103.

[118] Helichoth olam, sect. 2, schaar 5, fol. 34, pag. 2: אין הלכה כרבי אליעזר משום דשמותי הוא...... ולכך פי׳ התוספות כבעל הערוך דשמותי ר״ל מתלמידי בית שמאי ואע״ג דרבי אליעזר מתלמידי דר׳ יוחנן בן זכאי הוה, כדאיתא בפרק שני דאבות, ורבן יוחנן בן זכאי מתלמידי בית הילל הוה, כדאיתא פרק יש נוחלין, אפ״ה קים ליה לגמרא דבכל דבריו קאי כבית שמאי, ולכך אין

agnoscebant et colebant, Diaboli contra ex iis, qui Deum agnoscebant et colebant non Jehovam sed Diabolum, cujus varia commenticia simulacra (idola) habebant et venerabantur.

2. Quare si quis a Diabolo desciscere atque in Jehovae partes transire volebat, nihil amplius ei faciendum erat, quam ut, cultu idolorum rejecto, Jehovám, verum Deum, dominum agnosceret coleretque, qua ipsa re ad Jehovae partes se applicabat.

3. Quod si fecerat, neutiquam opus erat, ut legi Mosaicae obtemperaret et Judaeus fieret, sed, dummodo praecepta Noachitis i. e. gentilibus data observaret, gentilis manere poterat. Quidquid enim discriminis inter pios gentiles et Judaeos erat, non ad religionem sed ad altiorem felicitatis futurae gradum spectabat.

הלכה כמותו בכל מקום זולתי במקום שמפרש בהדיא בגמרא שהלכה כמותו. i. e. Non dicitur sententia secundum R. Eliesar, propterea quod excommunicatus est..... Id quod explicant ita additamenta in Talmud et auctor libri Aruch: excommunicatus est, hoc dicere sibi vult: est e discipulis scholae Schammai. Namque etsi R. Eliesar erat e discipulis R. Jochanan ben Saccai, sicuti invenitur in sect. 2, tract. Aboth, et Raban Jochanan ben Saccai e discipulis scholae Hillel, sicuti invenitur in sect. Jesch nochlin (tract. Baba bathra), tamen Gemara statutum habet, eum [R. Eliesarem] omnibus suis verbis sequi scholam Schammai, ideoque sententia non est secundum eum ullo in loco, excepto eo loco, ubi declaratur aperte a gemara, sententiam esse secundum eum.

4. Judaei enim, quippe populus Dei electus, prae ceteris gentibus multis se beneficiis in regno Messiano fruituros esse sibi persuaserant[119]. Si quis igitur horum beneficiorum particeps esse volebat, justus et omnibus numeris absolutus Judaeus

---

[119] Sepher hakusri, maamar rischon, sect. 3, fol. 30, 1: אין אנחנו שוללים משום אדם גמול מעשיו הטובים מאיזה אומה שיהיה. אבל אנחנו רואי׳ הטובה הגמורה לעם הקרובים בחייהם אל ה׳, ואנו ערכים מעלתם אצל האלהים אחרי מותם בערך ההוא. i. e. Non denegamus ulli homini remunerationem bonorum factorum, ex quavis sit gente. Sed videmus perfectam bonitatem [virtutem] ejus populi esse, qui in vita propinquus est Jehovae [i. e. Israelitis], atque existimamus, eos ex eadem ratione priores partes habere apud Deum post mortem.

Quam sententiam commentarius ita explicat: זה שאמרתי שלבני ישראל לבדם ניתן העולם העליון יותר מזולתם הוא מפני ראותינו שהם קרובים בחייהם אל ה׳ אם הנביאים בנביאותם ואם החסידים בענוותם. ושאותם בלבד בחר ה׳ לו לעם ליתן רוחו עליהם יותר מכל עם, ובערך הזה ג״כ טובות עוה״ב ביותר שאת מן הטוב שמגיע לאשר לא מבני ישראל המה. i. e. Id quod dixi: solis filiis Israel datum esse mundum superiorem majore modo quam ceteris, hoc ita se habet: Quum videamus eos in vita propinquos esse Jehovae, tum per prophetas, prophetia eorum, tum per pios, humilitate eorum, atque eos solos electos esse a Jehova, quibus spiritum suum [divinum] daret plus quam ulli alii populo, ideo *ex hac ratione etiam bona mundi futuri iis sunt majoris praestantiae*, quam bonum est, quod obtinget iis, qui non sunt ex filiis Israel.

fieri debebat; contra qui iis renuntiare, et mediocri gentilium in mundo futuro statu contentus esse volebat, gentilis manere poterat, modo Noachitarum praecepta observaret.

5. Jure igitur magistri talmudici eodem loco habebant rejicere idolorum cultum, atque explere legem Mosaicam [120]; utraque enim re Jehova Deus agnoscitur, ac mundi futuri civitas commeretur.

6. Quoad igitur Pauli de fide doctrina solos gentiles amplectebatur, repagula disciplinae judaicae nullo modo perfringebat, quum Paulus ex praeceptis alterius et majoris quidem scholae judaicae doceret. Tantumque aberat, ut haec ejus doctrina novi atque inauditi quidquam haberet, ut plerique Christianorum Hierosolymitanorum eam concederent ac probarent (Act. 15; Gal. 3.).

---

[120] Talmud tract. Kiduschim, sect. 1. Ajin Jaakof Tom. II, fol. 90, col. 2.:
אמר מר חמורה עבודת אלילים, שכל הכופר בה כמודה בכל התורה כולה. i. e. Dixit Dominus [auctor Talmudi]: Gravis est cultus idolorum, nam *quisquis ei renuntiat est sicut is, qui agnoscit totam legem.* Cf. R. Bechai Commentar. in Pentateuch., Tom. II, par. Ekef, fol. 31, 4:
כל המשקץ עבודה זרה כאלו קיים כל המצות, ודרשו רבותינו ז"ל: כל הכופר בעבודה זרה כאילו מודה בכל התורה כולה. i. e. Omnis, qui abominatur cultum idolorum, est sicut observaret omnia legis praecepta et docuerunt magistri nostri: Omnis, qui renuntiat cultui idolorum est sicut agnosceret totam legem.

§. 27. 1. Mox vero Paulus, doctrinam illam *in ipsos quoque Judaeos valere contendens*, in sanctissimam Judaeorum opinionem totamque vitam judaicam aggressionem fecit, eamque funditus evertit. Docebat enim: etiam Judaeis, quibus tamen lex data erat, eam non amplius observandam esse, sed solo fidei merito eos mundi futuri participes fieri posse, quia lex Mosaica jam abrogata esset.

2. Una haec doctrina de lege abrogata ac ne Judaeis quidem amplius observanda et de mundo futuro etiam ipsis Judaeis per solam fidem adipiscendo, est nova Paulique peculiaris.

3. Ad quam sententiam proponendam Paulus adductus est ita.

§. 28. 1. Etsi enim a primoribus coetus Christianorum Hierosolymitani impetrarat, ut probarent sententiam suam, qua pios gentiles solum praecepta Noachitarum observantes civitatem regni Messiani adepturos esse contendebat, nihilo tamen minus Christiani judaici severiori illi scholae Schammai addicti, Paulinam doctrinam sibi invisam reprimere omnibus viribus connitebantur. Ideo in coetibus a Paulo conditis per ejus absentiam pios gentiles eo adducere studebant, ut omnibus numeris absoluti Judaei fierent (cf. Gal. 2, 14; 6, 12, Phil. 3, 1 sqq.; Col. 2, 8, 16, 20.).

2. Hinc exorta est perpetua illa Pauli cum adversariis de lege observanda controversia, quae et totarum quarundam Pauli epistolarum argu-

mentum est, ut epistolarum ad Galatas et ad Romanos, et aliarum singulis saltem locis attingitur, ut Philipp. 3, 2 sqq.; Col. 2, 8, 11, 16 sqq., 20 sqq.; Timoth. 1, 7, 8 sqq.; 4, 2, 3 sqq.; 6, 3 sqq.; Tit. 3, 9.

3. Qua controversia quum animi in dies magis exacerbarentur (cf. Philipp. 3, 2 sqq.), Paulus ad sententiam de lege deductus est adversariorum sententiae plane contrariam. Etenim quum hi legi nimium tribuerent, ejusque observationem etiam gentilibus ad civitatem regni Messiani accipiendam necessariam ducerent, Paulus contra legem ne Judaeis quidem ad adipiscendam beatitudinem futuram necessariam esse dicebat (cf. Rom. 3, 30; 4, 12 — 15.), eamque jam prorsus abrogatam esse declarabat (cf. Act. 26, 21; Ephes. 2, 15.). Contendebat enim ita datam esse, ut valeret quoad Messias veniret, ideoque, quum Messias jam venisset, plane abrogatam esse; ita ut ad adipiscendam mundi futuri civitatem jam inefficax, ideoque vel judaicis Christianis non amplius observanda esset. (Cf. Rom. 7, 1 — 6 ac totam Pauli epistolam ad Romanos datam, quos ipsos maximam partem judaicos Christianos fuisse apparet.)

§. 29. Hanc sententiam Paulus ex doctrina illa de nova lege per Messiam danda (v. annot. 73.), novoque foedere per eundem feriendo (v. eand. annot.) et ex Christianorum sententia, qua Messiam in persona Jesu ad redimendum Dei populum semel jam in terram venisse credebant, scite repetebat, ratiocinans in hunc fere modum:

1. Vetus pactum et lex respectu Messiae data sunt ejusque adventu explentur, ergo vetus pactum et lex tantummodo ad Messiam usque valent (Gal. 3, 23—25; 4, 1—4; Rom. 10, 4?); Messias autem jam in terram venit, ac morte sua populum suum e Diaboli potestate redemit, et cum Deo reconciliavit; novum igitur foedus, quo homines reconciliari debebant, jam fecit (Hebr. 7, 22; 8, 6; 9, 15.). Novo foedere abrogatum est vetus (Hebr. 8, 13.) una cum lege in veteri foedere data (Hebr. 10, 9; Ephes. 2, 15.). Hujus legis piacula insuper colligebat ad justificandum hominem et adipiscendam Dei gratiam invalida fuisse, alioqui enim, si lex hominibus eam servantibus Dei gratiam reconciliare potuisset, opus non fuisse, Messiam ad expiandum populum in terram venire ac mori (cf. Gal. 2, 21; Hebr. 8, 7; 10, 1—10.). Igitur aequalibus Messiae, seposita illa abrogata veteris pacti lege, ad acquirendam regni Messiani civitatem nonnisi unam patere viam, ut fide in Messia posita novo foederi se adjungerent.

2. In hac argumentatione omnia posita sunt quae et Paulus in epistolis cum ceteris tum ea, quae ad Romanos data est, et scriptor nostrae epistolae de novo foedere facto veterique abrogato disserunt.

3. Christianos judaicos e contrario pro auctoritate legis acerrime pugnavisse, vix attinet dicere. Contendebant, legem valere donec regnum Messiae esset constitutum, omniaque exitum habuis-

sent (Matth. 5, 18.). Hoc autem non prius fore, quam Messias iterum venisset. Usque ad id tempus igitur legem continuo valere (Matth. 5, 17.), ideoque Christianis ad adipiscendam regni Messiani civitatem praeter fidem in Messia ponendam etiam legem observandam esse (Jac. 1, 25; 2, 14—26.).

§. 30. Etsi igitur priore illa Pauli doctrina, qua solam fidem gentilibus ad futurae vitae societatem comparandam dicebat necessariam esse, controversia inter ambas Christianorum partes mota erat, tamen acre illud judaicorum Christianorum odium in Paulum tum demum exarsit, quum hanc de lege Mosaica abrogata atque sola fide (sine legis observatione) etiam Judaeis ad vitam futurum adispiscendam sufficiente protulit sententiam (Act. 21, 20, 21, 28; cf. Matth. 5, 19; 23, 15; v. infra §. 65, 2.).

§. 31. 1. Cum hac legis despicientia cohaeret alia Pauli de lege doctrina, qua legem Mosaicam ab angelis datam esse dicit, neque vero a Deo ipso, ut ceteri magistri judaici docebant.

2. Facile apparet Paulum controversia circa legem flagrante, quodcunque momentum ad extenuandam nimiam adversariorum de lege opinionem valeret, arripuisse et in suam rem convertisse. Hinc factum est, ut doctrinam Judaeis minime probatam, videlicet legem ab angelis datam esse, cujus tenuia admodum vestigia in libris rabbi-

nicis inveniuntur [121], amplecteretur, eamque, quippe quae legi divinam et originem et auctoritatem demeret, ad argumentationem suam firmandam adhiberet.

3. Quae doctrina, quum Judaeis et Christianis judaicis, apud quos lex Mosaica paene in divino erat honore, vera *βλασφημία* videri deberet, in Pauli tantum eorumque, qui Paulinae doctrinae addicti erant, scriptis occurrit, atque etiam in his rarissime (Gal. 3, 19; Act. 7, 38, 53; Hebr. 2, 2.).

4. Non igitur est mirandum, quod Christiani judaici ob tales doctrinas, ab ipsorum approbatione tam valde abhorrentes, in Paulum, quum ultimum Hierosolymam venisset, tam exacerbatos atque infensos se praebuerunt.

---

[121] Diu dubitavi hanc doctrinam habere judaicam, loci enim ab interprett. (sec. Wetsten. ad Gal. 3, 20.) e libris rabbinicis prolati nihili sunt. Tamen quum locus ille e Joseph. Antiqq. XV, v. 3. citatus probare mihi videretur, hanc doctrinam tum temporis Judaeis non inusitatam fuisse, inquirere non destiti, donec mihi obtigit locum reperire, qui tanto illustrior est, quia ipsam de hac re controversiam exhibet: Tikune Sohar, Tikun XXXVIII, fol 82, p. 1:

קם סבא חרא מבתר טולא דר' שמעון ואמר: ר' ר הא חזינו דאתמר; מן השמים השמיעך את קולו ליסרך כו' ובאתר אחרא שמענא דמליל עם ישראל מסיטרא דמלאכיא דהכי אוקמוהו דכל דבור ודבור דנפיק מפומוי אתעביד מלאך, ורא איהו וכל העם ראים את הקולות ואת הלפידים ובאתר אחרא אמר קרא: אחת דבר אלהים שתים

§. 32. Hae potissimum doctrinae sunt, quibus Pauli secta a judaicis Christianis differebat; alias quasdam controversias, quarum una est, utrum colendi sint angeli, an non (Apoc. 19, 10; 22, 8, 9; Jud. 8; Col. 2, 18.), hic praetermittimus, quum minoris sint momenti, neque quidquam ad nostram disputationem faciant.

§. 33. 1. Illa autem de lege dissensione inter Pauli sectam et Christianos judaicos majorem simultatem fuisse creatam, quam ea erat, quae inter Christianos judaicos atque ipsos Judaeos intercedebat, non est quod mireris. Nam quae inter Judaeos et Christianos judaicos erat dissensio, ad solam doctrinam pertinebat, neque usum

---

i. e. Surrexit senex quidam ex זו שמעתי. מאי האי. umbraculo R. Simeonis et dixit: Rabbi, videmus dictum esse (5 Mos. 4, 36.): De coelo te fecit [Deus] audire *vocem suam*, ut doceret te, et in terra ostendit tibi ignem suum maximum, et audiisti verba illius de medio ignis [hoc dicere sibi vult: legimus Deum in monte Sinai *ipsum loquentem* leges Moysi dedisse]; atque alio loco [num in Talmud? v. infra] audivimus *eum* [Deum] *loquutum esse cum Israel a parte angelorum* [i. e. Deum Israelitis per angelos leges dedisse], nam statuerunt (cf. Talm. tract. Chagiga, sect. 2, Ajin Jaakof, Tom. I, fol. 209, 4.): unumquodque verbum, quod exiit ex ore ejus [Dei], factum est angelus, atque hoc illud est (2 Mos. 20, 18.): Cunctus populus *videbat voces* [quippe quae voces angeli factae essent], et alio loco (Ps. 62, 12.) dictum est: *Semel* locutus est Deus, *duo* sunt, quae audivi. Quid est hoc? [Tum R. Simeon has duas sententias sibi repugnantes cabbalistice eas interpretando inter se conciliat].

vitae communis ullo modo immutabat, quem nova Pauli doctrina funditus evertebat.

2. Nam Christiani judaici maximam partem Hierosolymae commorantes non solum judaicum Jehovae cultum in templo Hierosolymitano exercebant, omniaque sacra et caerimonias judaicas, sabbata et dies festos, pascha, pentecosten etc. una cum Judaeis celebrabant, quae res notior est, quam ut locis laudandis demonstretur necesse sit, sed etiam in communi vita nullum erat legis Mosaicae praeceptum, quod non observarent. Faciebant in templo quotidianas precationes in lege Mosaica praeceptas (Act. 2, 46; 3, 1.), religiose observabant discrimen inter pura et impura, neque solum circa cibos (Act. 10, 14; 11, 1), sed etiam in commercio cum gentilibus (Gal. 2, 12, 13.), ita ut a Paulo post ultimum ejus e Graecia reditum poscerent, ut secundum praecepta legis Mosaicae a sacerdotibus in templo sacrificiis et aliis judaicis ritibus piacularibus ab inquinatione e commercio cum gentilibus contracta se purgari et lustrari curaret (Act. 21, 19 sqq.), et ea ipsa re suam legis Mosaicae reverentiam demonstraret (v. 24.). Quid multa? Inter Christianos judaicos et Judaeos praeter unam de Jesu Messia opinionem, quae in externa vitae consuetudine nihil mutabat, omnino nihil erat discrepantiae.

3. Contra ea Christiani Pauli doctrinam sequentes ad religionem judaicam et Jehovae cultum se applicabant quidem, namque eadem ra-

tione, qua Judaei extra Palaestinam viventes, Deum colebant, synagogas et conventus frequentabant, hymnos et preces recitabant, libros sacros legebant atque interpretabantur, sabbata et dies festos celebrabant; sed quia advenarum tantummodo inquilinorum (proselytarum portae) conditione utebantur, nullum totius legis Mosaicae praeceptum observabant, ideoque circumcisionem atque statuta de puro et impuro nihil curabant, sed in observandis Noachitarum praeceptis acquiescebant.

4. Propter quam legis negligentiam severi illi ac religiosi Christiani judaici eos aeque impuros habebant atque eos, qui meri erant gentiles, et arctiorem eorum societatem ac familiaritatem non minus aversabantur, quam ceterorum gentilum. (Cf. Gal. 2, 12, 13.)

5. Ex quo perspicuum fit, cur et Christiani judaici a Jacobo Hierosolyma delegati commercium cum Christianis Antiochenis gentilibus evitaverint, et Jacobus ceterique antistites coetus Hierosolymitani, asperiori illi scholae addicti, a Paulo, quum ultimum Hierosolymam venisset, poposcerint, ut se sacerdotibus in templo lustrandum et purificandum (ἁγνίζειν) praeberet, nimirum quod cum piis illis gentilibus, quos homines impuros habebant, familiariter vixerat.

CAPUT VII.

§. 34. Jam vero disciplina judaica breviter delineata, ac doctrinis, quum ea, quae duabus sectis christianis communis, tum ea, quae solius Pauli sectae propria erat, accuratius expositis, revertamus ad Hugii illam argumentationem, ad quam illustrandam haec omnia disputavimus; de qua jam paucis verbis sententiam dicere poterimus.

1. Collata enim disquisitionis nostrae summa cum illa Hugii argumentatione, cuivis recte judicanti patebit, totam argumentationem fundamento minime solido esse superstructam, quippe quae proficiscatur ex opinione prorsus falsa, qua Christianos judaicos, judaico Dei cultu relicto, peculiari quodam Dei cultu, pontifice et sacerdotibus ara et sacrificiis carente, usos esse Vir doctus putat.

2. Quod nunquam sic se habuisse, neque unquam illos a Judaeis se separasse, sed templo Hierosolymitano, ejusque sacris, sabbatis et diebus festis aeque ac Judaeos usos esse, jam ex iis apparet, quae ad exponendas et Judaeorum et Christianorum doctrinas, et explicandas eorum dissensiones supra disseruimus.

3. Manifestum est, Virum doctissimum, quae

ad gentiles Christianos pertinent, in judaicos transtulisse, quamquam, re accuratius perpensa, illos a cultu Dei judaico se separavisse non minus perperam dixeris, quum etiam Judaei extra Hierosolymam viventes nec sacerdotibus neque aris nec sacrificiis uterentur.

4. Quae quum ita sint, ea, quae ex ista falsa opinione Hugius argumentatur: Christianos judaicos amore et desiderio pristini cultus incensos ad deficiendum a nova religione christiana ad judaicam propensiores fuisse, ultro corruunt omnia.

PARS II.

CAPUT VIII.

§. 35. Expositis jam, quae ad firmandam vulgarem opinionem, qua epistolam ad Hebraeos, i. e. judaicos Christianos, datam esse putant, a Viris doctis prolata reperimus, quae ad probandam eam non satis valida esse evidenter nobis demonstrasse videmur, nihil aliud restat, nisi ut relictis doctorum Virorum disputationibus ex ipso epistolae argumento, rationes proferre studeamus, quibus ad certum aliquod de hac re judicium pervenire possimus.

§. 36. Vel strictim perlecta epistola in oculos incurrit, scriptorem id potissimum agere, ut eos, quibus scribit, a deserenda Christianorum causa revocet. Itaque omnes epistolae interpretes id consentiunt, ut eos, ad quos scripta est, Christianos fuisse dicant ad defectionem a religione christiana pronissimos, quod nonnisi in Christianos Judaeos genere quadrare arbitrantur. Videndum igitur, num haec opinio cum argumento epistolae consentiat.

§. 37. Jam primum quid est Christianus judaicus ad deserendam religionem christianam propensus? Qua ratione Christianus judaicus a christiana religione deficere poterat?

1. Nulla alia manifesto ratione Christianus judaicus a christiana religione deficere poterat, nisi reprobandis et rejiciendis iis sententiis, quae Christianorum prae Judaeis propriae erant, et quibus a Judaeis secernebantur; et contra rursus amplectendis iis, quas Judaei prae Christianis probabant. Ejus generis sententias non nisi illas de Messia doctrinas fuisse, supra vidimus (§. 20, 21 et 22.): Messiam scilicet bis in terram venire, semel ad redimendum Dei populum, iterum ad constituendum regnum Messianum; porro Jesum illum, qui in Galilaea regni Messiani praenuntius et thaumaturgus exstiterat, Messiam fuisse primum in terram venientem; et qui Messias ad condendum regnum Messianum in terram rediturus esset, eundem fore Jesum (§. 21, 4.); quas doctrinas Judaei respuebant. Etenim doctrinam, qua duplex Messiae munus (§. 19, 5.) ita distribuebatur, ut duplici in terram adventu absolveretur, solam fuisse vidimus, qua a judaica disciplina Christiani judaici recederent (§. 23.), quum Judaei contra duplex illud munus duobus diversis Messiis tribuerent (§. 20, 2.).

2. Christianus igitur judaicus a Christianorum partibus defecturus et Judaeorum sententiam amplexurus cogitari alius non potest, nisi

is, qui dubitando: an Jesus vere fuerit Messias, eo adductus sit, ut sententiam de duplici Messiae in terram adventu reprobet, atque unicum tantum Messiae adventum ad constituendum regnum Messianum fore censeat, neque igitur Jesum in persona Messiae reventurum esse credat, uti Christiani credebant.

3. Quam definitionem, propterea quod fortasse peregrinum sonat, noli sic temere reprobare, sed accuratius eam perpendas velim. Si enim recte se habent, quae antehac disseruimus de disciplina judaica deque discrimine, quod inter judaicam et christianam doctrinam interest, hanc definitionem non potes non probare. Qua re via ad absolvendam nostram quaestionem aperta est; summum enim impedimentum, quominus hanc et similes quaestiones absolvamus, in confusis et falsis positum est cogitationibus, quas de primis Christianis animo nobis fingere consuevimus.

§. 38. 1. Ad tales igitur Christianos litteras daturus, scriptor omnem libri rationem ad hunc legentium animum accommodare debuit, omnemque operam in eo ponere, ut confirmandis Christianorum refellendisque Judaeorum sententiis Christianos illos prohiberet ad Judaeorum partes transire.

2. Potissimum ideo epistolae argumentum versetur necesse est in confirmandis et demonstrandis Christianorum sententiis de duplici Messiae in terram adventu, deque vera Jesu Messiana dignitate,

vel (sit venia verbo) de Messianitate ejus. Quacunque autem ratione auctor epistolae propositum hoc peregerit, sive impugnanda et refutanda doctrina judaica (πολεμικῶς), sive defendenda solum et comprobanda christiana ad conciliandos ei animos (εἰρενικῶς), vel quaecunque res auctori occasionem litterarum dandarum obtulerit, ac quomodocunque cum ea argumentum litterarum conjunctum sit, ea omnia ad commutandum ipsum argumentum prorsus nihil fecisse necesse est.

3. Jam videamus, num verum epistolae argumentum congruat cum eo, quod ex rei natura confingere coacti sumus, si quidem epistola nostra, secundum vulgarem opinionem, judaicis Christianis ad deserendam Christianorum partem pronis data est.

CAPUT IX.

EPISTOLAE ARGUMENTUM ORDOQUE SENTENTIARUM.

A. §. 39.

Deus *ad patres* nostros multis modis loquutus **1**, 1.
per prophetas [qua de re? de regno Messiano, ut appa-
ret e c. **2**, v. 1 et 5; cf. §. **14**, 4.],
hoc novissimo tempore *ad nos* loquutus est [de eadem 2.
re, de regno Messiano, cf. **2**, 3.] *per filium* [i. e. per ipsum 3.
Messiam, §. **12**, 1. et §. **13**.] (sequuntur amplissima
dignitatis ejus nomina),

qui [filius, Messias], purgatione peccatorum nostrorum per semet ipsum peracta, jam ad dexteram Dei sedens, tanto augustior angelis effec- 4-13.
tus est, quanto excellentius prae eis nomen [filii] sortitus est[122] [seq. loci sacr. script. ad confirmandam utramque sententiam],

quum angeli nonnisi spiritus ministrantes sint, 14.
destinati ad ministerium [cf. **16**, 9 et annot. 87.] eorum, qui salutem [liberationem, societatem regni Messiani, cf. §. **15**, et §. **19**, 8.] hereditant.

Eo magis animos attentos habere debemus, ad ea **2**, 1.
quae audivimus [i. e. ad nuntium de regno Messiano, cf. **1**, 1.], ne *forte excidamus* [felicitate regni Messiani, id quod patet e c. **2**, v. 5.];

---

[122] Cf. Bertholdti Christologia, §. 22, annot. 6 et 7, pag. 102.

2, 2. nam si is, qui legi [Mosaicae] *per angelos* promulgatae [cf. §. 31.] non obediebat, poenam dabat,
3, 4. quanto magis punietur is, qui neglexerit tantam *salutem* [1, 14.] ab ipso filio [i. e. Messia, 1, 2.] pronunciatam, ab ejus auditoribus nobis traditam, et prodigiis confirmatam.

[Jam sequitur argumentum, quare negligentia salutis, quam Messias nuntiavit, tam perniciosa sit.]

5. Nam *mundus futurus* [mundi ille status felicissimus sub regno Messiae sive regnum Messianum, cf. §. 16, 9.] DE QUO LOQUIMUR, *non angelis* subditus erit;

[sed ipsi igitur filio (Messiae) (cf. §. 17, annot. 89.); id quod cogitatione supplendum [123].

Igitur ob negligentiam Messiae a mundi futuri (regni Messiani) civitate excludemur.]

[Jam demonstratur mundum futurum Messiae revera subjectum fore:]

6-8. scriptum enim invenimus [Ps. 8, 5 et 6.]: hominis filio [Messiae] omnia subjecta esse;

---

[123] Brevis haec et manca dicendi ratio, quae sententias cogitatione complendas legentibus relinquit, in scriptis judaicis perquam crebro invenitur, quam ob rem libri rabbinici saepe non nisi cum summa animi attentione intelligi possunt. Solent enim scriptores sententiam solum indicare et inchoare, nec vero fusius exponere et persequi, ita ut vel finis argumentationis, vel alia quaedam enuntiatio, quae e verbis antecedentibus ultro consequitur, cogitatione supplenda sit. Cujus rei exemplum luculentum vide in annot. 105. Pari dicendi ratione etiam noster scriptor pluribus locis utitur, sicut hic et v. 8.; vide quae annotavimus ad c. 3, v. 4; 7, 10; 8, 5.

nunc vero [in hoc aevo, *ἐν τῷ νῦν αἰῶνι*, 2, 8.
§. 12, 1.] ei *nondum omnia subjecta* esse
videmus [quia Diabolus in hunc mundum dominatur, cf. §. 11, 3; annott. 3, 5, 7 et 9];
[igitur, quod uti contrarium cogitatione supplendum est, in mundo futuro omnia ei subjecta erunt, id quod demonstrandum[124].].

B. §. 40.

[Jam reliqua ipsius vaticinii, cujus mentionem fecit (Ps. 8, 5 et 6), verba scriptori ansam praebent transitum faciendi ad tractandum aliud argumentum, hocce modo:]
Quod vero Jesus [qui igitur scriptori unus idemque est 9.
ac Messias, ita ut nomine Jesu pro verbo Messiae utatur, cf. 4, 14; 6, 20; 7, 22; 12, 2, 24; 13, 12.] breve tempus angelis postpositus [dum in terra viveret mortemque subiret] ob mortis perpessionem nunc divino honore fruitur [ut qui e mortuis resuscitatus et in coelum evectus ad Dei dexteram sedet], factum est eo consilio, ut [motus proposito hoc honoris et gloriae praemio, cf. 12, 2] secundum gratiam Dei *pro unoquo-*

---

[124] Hac ratione mancas enuntiationes complendas, ordinemque sententiarum disponendum esse, cuivis accuratius in sensum argumentationis inquirenti patebit. Namque ita demum sententiarum inter se conjunctio perspicua fit.

[125] Haec vera hujus loci interpretatio esse videtur. Reliquae interpretationes, quae adhuc prolatae sunt, contortae sunt, ac simplici verborum sensui vim faciunt, quum haec, quam nos dedimus, verbum de verbo reddat, ac sensum planum et perspicuum efficiat. Qui sensus si cui nimis humanam de Mes-

que mortem subiret[124]. [En alterum epistolae argumentum, quod circa Messiae mortem expiatoriam ac munus sacerdotale versatur.]

2, 10. Deum enim decebat, quum filios suos [populum Dei, Jehovae cultores, et ante omnes Israelitas, cf. §. 11, 3 atque annot. 10 et 95 med.] ad illum splendoris statum [quem Jehovae cultores in mundo futuro sortientur, cf. §. 16, 3, 4 et annot. 67.] adducere vellet, auctorem salutis eorum [liberatorem, Messiam] perpessionibus [cruciatus et mortis] perfectum reddere.

11-14. Etenim, quum purgans [redimens, Messias] et purgandi [redimendi] unius sint patris, igitur fratres, [et Messias et Israelitae filii Dei nominantur, v. supra 1, 3 et 2, 10.] ille hisce par fieri, et aeque atque ipsi corpus assumere debebat,

14-15. ut *morte obita* ANGELUM MORTIS, i. e. DIABOLUM [idem nos docuimus, §. 11, 3, annot. 6.] *invalidum redderet* [potestati ejus mortem hominibus inferendi sua ipsius morte satisfaciens, eamque ita dissolvens, §. 19, 4 et 5.], *eosque, qui metu mortis* [cf. §. 11, 3, annot. 4[c] et 4[d], et §. 19, 2, et annott. 95 et 96.] *in Diaboli servitute tenerentur*, [i.e. Israelitas, §. 19, 2, et annott. 95 et 96.]

---

sia cogitationem prae se ferre videtur, ei cum scriptore res est, qui eandem sententiam in c. 12, v. 2. expressis verbis eloquitur: ὃς (Ἰησοῦς) ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς ὑπέμεινε σταυρὸν, qui propter gaudium sibi propositum crucis supplicium subiit. In mea explicatione et particula διὰ et conjunctio ὅπως, quae duo verba interpretes adhuc valde vexarunt, propriam atque usitatam retinent vim, quum διὰ sonet *propter* et ὅπως, *eo consilio, ut.*

redimeret [v. fusiorem de redemtione doctrinam, §. 19.].
Non enim angelos aggreditur ille [angelus mortis, 2, 16.
Diabolus], sed *prognatos Abrahami* [i. e. Israelitas][126].

Quid multa? Omnibus rebus [etiam mortem subeundo] 17.
fratribus [Israelitis] par esse debebat, *ut fieret misericors et fidus pontifex* apud Deum, ad expianda
Israelitarum peccata [cf. §. 19, 1 et annot. 93.][127]; 18.
quum enim ipse cruciatus ac tentatus sit, iis qui tentantur [a Diabolo, §. 11, 3, annot. 4a.], eo magis adesse potest [apud Deum contra accusationes Diaboli ob peccata commissa, cf. §. 11, 3, annot. 4b, et annot. 95.].

C. §. 41.

Hunc Dei *legatum* [ita nominatur, quia Deus per 3, 1-2.
eum ad nos loquutus est, 1, 2.] et *pontificem* Jesum

---

[126] Hanc interpretationem ipsa sententiarum conjunctio probat. Dixerat scriptor, Messiam debuisse hominem fieri ad redimendos eos, qui metu mortis in Diaboli servitute tenerentur. Jam quinam sunt ii, qui in Diaboli servitute tenentur? Nulli nisi homines, σπέρμα Ἀβραάμ; nam Diabolus parti Dei bellum inferens (ut vidimus supra §. 11, 3.) neque Deum ipsum neque angelos aggredi potest, quippe qui ipso validiores sunt, ita e parte Dei nemo ei relictus est, quem invadere possit, nisi homines a Dei partibus stantes; hi igitur, neque vero angeli, ejus impetui expositi sunt, id quod versus 17 exprimit. Ita versus 17 arctissime cum versibus praecedentibus cohaeret.

[127] Brevis delineatio doctrinae de Messiae morte expiatoria, quam scriptor verss. 14 — 16 adumbrat, cum universa judaica disciplina prorsus congruit. Tamen scriptor ea solum-

[Messiam] respicite [imitandum vobis proponite, qua in re? in fide habenda.]

3, 3. nam Deo *fidus* erat, sicut *Moyses* fidus erat in tota ejus [Dei] familia[128] [4 Mos. 12, 7.], quin *tanto majore* [fidelitatis] *gloria* [laude δόξῃ][129], fruitur, quam Moyses, *quanto majorem dignitatem* (τιμὴν) is, qui familiam *instituit*, prae familia habet [i. e. prae eo, qui ad familiam pertinet; nam Moyses, etsi familiae, populo Dei, praeerat, tamen ad familiam, i. e. ad ipsum populum pertinebat].

4. Nam unaquaeque familia instituitur ab aliquo. [Igitur Dei quoque familia (v. 3.) i. e. pars Dei, po-

---

modo fundamento utitur, in quo novam de pontificatu Messiae exstruat. Cujus doctrinae ne vestigium quidem in libris rabbinicis reperire potui. Propria igitur scriptori sit necesse est.

[128] Hanc verbi οἴκου significationem hoc loco unice veram esse, ex verbis sequentibus: καθ' ὅσον πλείονα τιμὴν ἔχει τοῦ οἴκου evidenter apparet. Etenim major dignitas, qua Messias prae Moyse fruitur, non probatur argumentando: Messiam majorem esse *sola domo,* in qua Moyses fidus erat, sed in Moysem ipsum sententia referatur necesse est, id quod aliter fieri non potest, nisi hac verbi οἴκου interpretatione.

[129] Hic verus hujus loci sensus esse videtur. Verbum δόξης usitatam retinet significationem *gloriae, laudis.* Sub qua gloria *gloriam fidelitatis* subintelligi debere, sententiarum conjunctio docet. Sola particula γὰρ difficultatem movet, quia nullo pacto propria ejus vis in hac sententiarum conjunctione locum habere potest, quum secunda sententia gradationem prioris exhibeat. Ne tamen nimis hanc particulam urgeas; non raro scriptorem ejusmodi particulis et inprimis particula γὰρ negligenter usum esse reperies, cf. 4, 3; 7, 26.

pulus Dei, ab aliquo instituatur, necesse est, et is est Messias, qui familiam Dei, populum Dei, ineunte mundo futuro constituit, novam legem ei dans, et novum Dei cum populo suo pactum feriens (cf. §. 16, 7 et annot. 97.].
Is vero, qui omnia [in mundo futuro] instituit [i. e. 3, 4.
Messias], *divinum quoddam numen est* [130]; [Moyses contra, id quod ut contrarium mente supplendum, nonnisi merus homo, Deique in ejus familia, apud ejus populum, servus et minister erat, ut saepe in sacr. script. nominatur; itaque major dignitas Messiae prae Moyse demonstrata est.]

---

[130] Hanc interpretationem veram esse, et e sententiarum inter se nexu et ex ipsa verborum structura apparet. Supra scriptor dixerat: Messiam tanto majore prae Moyse frui gloria, quanto majorem dignitatem *institutor familiae* haberet prae familia, i. e. prae eo, qui ad familiam pertinet (v. 4.). Patet igitur sub *institutore* familiae (ὁ κατασκευάσας) Messiam subintelligi debere. Quae jam sequuntur (in v. 5.) ad explicandum verbum κατασκευάσαντος dicuntur, igitur et ipsa ad Messiam referri debent, cujus divina dignitas inde argumentatur. Mancarum et negligentium ejusmodi argumentationum plures in nostra epistola inveniri demonstravimus, v. quae in annot. 114 disseruimus. Contra si versum de Deo explicare vis, nulla ratione cum praecedentibus cohaeret. Nec non ipsa verborum structura nostram interpretationem necessariam reddit. Quodsi enim in nostro versu de Deo (Jehova) ageretur, verbum Θεὸς articulo carere non posset; contra et in epist. ad Rom. 9, v. 5, et in 1 ep. ad Timoth. 3, 16. Messias pari modo Θεὸς, non adjecto articulo, i. e. divinum quoddam numen, nominatur. Doctrina vero ipsa, quae secundum hanc interpretationem huic versui inest, neque ceteris N. T. libris neque ipsi epistolae nostrae aliena est. Cf. praeter locos supra laudatos Hebr. 1, 3, 8.

3, 5. **Moyses igitur solum *ministri* partes agens in Dei familia *fidus* erat.**

6. **Messias vero** [fidus erat] **ut *filius*, familiae Dei *praefectus*** [quippe qui populi Dei in mundo futuro rex est][131], **ad quam Dei familiam** [Dei populum] **etiam nos pertinebimus** [in mundo futuro, i. e. etiam nos regni Messiani cives erimus], ***si fidem servarimus.*** [Per hanc sententiam de Messia fideliter pontificis munus obeunte, atque ob fidelitatem ad imitandam fidem proponendo, scriptor a tractato redemtorio et pontificali Messiae munere ad prius de fide tenenda epistolae argumentum rediit.]

7-11. **Ideo** [quum tale fidei exemplum vobis propositum sit] **si hodie** [ut dicit Spir. sanct. in sacr. script. Ps. 95, 7-11.] **auditis vocem ejus** [Dei invitantis ad regni Messiani

---

Quod autem in hac interpretatione participium aoristi κατασκευάσας (v. 3 et 4.) nominis substantivi (κατασκευαστῆς) vice fungi (cf. Matth. gr. gr. §. 270 et 570), et propriam suam vim, qua tempus peractum significat, deposuisse, infinitioremque nulli certo tempori adstrictam accepisse arbitror, ita ut hoc loco vel de re futuro demum tempore peragenda usurpetur, graecae linguae ingenio haud contrarium esse videtur (cf. Thiersch gr. gr. §. 291, 3 f. sqq.).

[131] Hac interpretatione loco huic (v. 3-6.) vexatissimo ac sane negligenter et confuse scripto aliquam lucem mihi videor adtulisse; in iis certe, quae adhuc ad eum explicandum prolata sunt, acquiescere non potui. Nihilominus universae argumentationi etiam nunc aliquid coacti et perversi inest, quod nulla interpretatione amoveri potest, qualia et in Pauli scriptis et in libris rabbinicis non pauca inveniuntur.

societatem] nolite animos vestros obdurare [ne este increduli], ut genus illud per deserta migrans, quod ideo in *quietem* [regnum Messianum] non pervenit [i. e. a regno Messiano exclusum est, cf. ep. Jud. 5.] [132].
Igitur ne *increduli* estote [nuntio Messiae de regno 3, 12
Messiano cf. 1, 2; 2, 3, 5.] *neve a Deo vivo* [i. e. a et 13.
Jehova] *deficite* [i. e. cavete, ne de regni Messiani veritate dubii facti et desperantes; rejecto Jehovae cultu, ad idolorum cultum recidatis cf. 10, 25 [133]]; sed quo-

---

[132] Sub verbo *ἀναπαύσεως*, quietis, regnum Messianum subintelligi debere, ex iis, quae c. 4, v. 6, 7 et seqq. exponuntur, dilucide apparet, ac Rabbinorum quoque simillima horum ipsorum locorum (Ps. 95, 11, et Num. 14, 35.) interpretatione probatur. Cf. Talmud, tract. Sanhedrin Ajin Jaakof, Tom. II, fol. 200, col. 4:

ת״ר דור המדבר אין להם חלק לעולם הבא, שנאמר: במדבר הזה יתמו ושם ימתו, יתמו בע״הז ושם ימתו בע״הב. ואומר: אשר נשבעתי באפי אם יבאון אל מנוחתי. דברי ר״ע.

i. e. Docent magistri nostri, *generationem deserti* [genus illud, quod per deserta migravit] *nullam habere partem mundi futuri* [regni Messiani]. Ut dictum est (Num. 14, 35.): In deserto hoc deficiet, et ibi morietur; deficiet: in hoc mundo, et ibi morietur: i. e. in *mundo futuro*. Etiam dixit [Deus, Ps. 95, 11.]: Ut juravi in ira mea: Non introibunt in *requiem meam*. Haec sunt verba R. Akiba.

[133] *Deum vivum* nuncupari Jehovam, et contra ceteros gentium Deos *Deos mortuos*, communis scriptorum judaicorum est usus loquendi. Ideo sententia: «a Deo vivo deficere», nulla alia ratione explicari potest, quam relicto Jehovae cultu idolorum cultum amplecti; quum enim Judaeis omnis mundus

tidie, quamdiu „hodie" dicitur [quamdiu adhortationem, qua ad regni Messiani societatem vocamini, auditis] ad perseverandum in *fide* vosmet ipsi adhortamini.

3,14. Nam solummodo si primam exspectationem [134] [in credendo et exspectando regno Messiano] usque ad finem [hujus aevi §. 15, 1.] tenueritis, *socii Messiae* facti estis [in societatem regni Messiani, mundi futuri, venietis].

15. Quamdiu igitur dicitur „hodie", quamdiu vocem Dei auditis [vos ad regnum Messianum invitantis], ne obdurate animos vestros, ut in illa exacerbatione [Judaeorum contra Deum in deserto, 4 Mos. 14.];

16-19. tum temporis enim omnes Israelitae, quotquot Moyses ex Aegypto eduxerat, ob *incredulitatem et diffidentiam* promissionum Dei [de regno Messiano, 4, 2.], quas audierant, a quiete [regno Messiano] exclusi sunt.

4,1. Cavete igitur, ne relicta illa promissione quietis [regni Messiani] ineundae aliquis excidat.

2. Nam *etiam nobis* illa [regni Messiani] promissio contigit, sicut illis.

2,3. Illis enim promissio inefficax fuit, quia fidem ei non adjunxerunt (nam non inimus in quie-

---

in duo regna Jehovae et Diaboli divisus esset, necessario eum, qui a Jehovae cultu defecisset, ad idololatriam se contulisse, vel a Jehovae ad Diaboli partes transiisse existimabant.

[134] Usitata haec verbi ὑποστάσεως vis et hic et c. 11, 1. sententiam prorsus planam ac dilucidam reddit, non igitur opus est coactis et contortis verbi interpretationibus (cf. annot. 147.).

tem [regni Messiani] nisi credimus), sicut in vaticinio illo Davidi dicitur, eos in quietem non iniisse,
ac, quamquam operibus Dei ab instituto mun- 4,3,4.
do absolutis et *quiete* existente [135] [Gen. 2.],
tamen a jam parata quiete eos exclusos esse, ex 5.
illo sacr. script. loco videmus.
Quoniam ergo, [utendi causa quiete parata] *relin-* 6.
quitur, ut *alii introeant in illam quietem*,
quum ii, quibus primis promissio ejus contigit,
ob incredulitatem, in eam non inierint,
Deus per illud Davidi vaticinium, *alium diem* 7.
[nobis] constituit, ad eam ineundam,
(quod idem probat, Israelitas sub Josua 8.

---

[135] Si reputamus sub verbo *quietis* hoc loco regnum Messianum subintelligi debere, non statim nobis patet, quomodo scriptor, ut demonstret, illam quietem, i. e. regnum Messianum, jam inde a mundo condito piis paratam ac reservatam fuisse, uti possit loco (Gen. 2, 2.), qui de instituto sabbato agit. Sed memores esse debemus, Judaeos libris sacris praeter simplicem et vulgarem verborum vim, etiam altiorem et arcanum tribuisse sensum, ita ut uni eidemque sententiae praeter simplicem significationem etiam plures altiores inesse possent. Ita scriptor loco, qui de instituto sabbato agit, etiam mentionem conditi et piis parati regni Messiani subjicere potuit. Atque quum hoc loco aeque atque illo (Ps. 95, 11.) graeci LXX interpretes sacr. librorum uno eodemque utantur ἀναπαύσεως verbo, quo hebraica verba מנוחה et שבת reddunt, scriptor altiorem et arcanam significationem, quam illo loco (Ps. 95, 11.) verbo ἀναπαύσεως subjicit, eidem verbo eo facilius etiam hoc loco (Gen. 2, 2.) tribuere potuit.

(*ἰησοῦς*) in veram illam quietem [quae aliud quiddam est ac quieta Palaestinae possessio] non
4,9. venisse.)
Quum *instet* igitur populo Dei *quies sabbati* [tempus quietis in regno Messiano perpetuo sabbato simile],
10. (nam qui in Dei quietem init, ab operibus suis conquiescit, ut Deus a suis conquievit,)
11. *ideo studeamus illius quietis* [in regno Messiano] *participes fieri*,
ne quis eadem *incredulitatis* poena pereat,
12,13. nam Dei minae efficacissimae sunt, omnesque hominis cogitationes ei manifestae sunt.

D. §. 51.

14. Itaque habentes *pontificem magnum* in coelis, scilicet Messiam Jesum filium Dei, *perseveremus in professione* [qua nos a Jehovae partibus stare, eumque Deum agnoscere ac colere profitemur. Religionis professione idem significari, quod illis verbis: ne de Deo vivo deficite, ultro patet. — Hac sententia, qua utrumque epistolae argumentum et de perseverando in fide et de pontificatu Messiae simul attingitur, fit transitus ad ampliorem secundi epistolae argumenti de pontificatu Messiae expositionem.].
15. *Primo* enim *Messias talis pontifex est*, *qui infirmitatibus nostris commoveatur*,
quum omnibus partibus aeque ac nos tentatus sit, nullo tamen peccato obligatus,
16. (quam ob rem eo majore fiducia eum ad obtinendam gratiam adire possumus)
5,1,2. *uti etiam humanus quisque pontifex* hominum

causam apud Deum agit et pro eorum peccatis
sacra offert, quia, suarum ipsius infirmitatum
causa, *eorum qui peccant misereri potest*,
(quam ob causam etiam pro suis ipsius pec- 5,3.
catis sacra facit).
Secundo, sicut nullus homo honorem illum [pon- 4.
tificatus] sibi sumit, sed nonnisi a Deo electus eum
accipit, ut Aaron,
ita etiam *Messias* non ipse, e sua ipsius auctori- 5 et 6
tate, pontificis dignitate se ornavit, sed *a Deo*
[sec. illud effatum Ps. **110**, 4.] *secundum ordinem*
Melchisedechi nominatus est pontifex,
qui, dum in terra vixit, ipse doloribus affectus 7.
ad Deum suppliciter precatus est, atque ob
reverentiam suam *exauditus* est (εἰσακουσθεὶς)
[itaque ad exaudiendos eos, qui Deum precantur,
propensus est],
atque ipse, etsi Dei est filius, ex iis, quae per 8 et 9.
pessus est, audire et obedire doctus (ἔμαθεν
ὑπακοὴν [136]), iis qui ipsum audiunt (ὑπακούου-
σιν αὐτῷ) *salutis futurae* [σωτηρίας αἰωνίου [137],

---

[136] Tota haec sententia e lusu verborum orta videtur, verbis εἰσακούω, ὑπακούω et ὑπακοή similiter cadentibus. Aliter enim intelligi non potest, qua ex causa sententia haec de obedientia Messiae proferatur, quum iis, quae praecesserunt, nullo modo conjuncta sit.

[137] Verbum αἰωνίου in libris sacris nonnisi rem denotat ad τὸν αἰῶνα τὸν μέλλοντα pertinentem, neque vero *rem aeternam, nullo fine terminatam*, quum ipse ille αἰὼν ὁ μέλλων minime sit aeternus, sed mille tantum annos duret, cf. annot.

liberationis, societatis regni Messiani, cf. §. 15 et §. 19, 8.] auctor fieri potest,

5,10. *ut qui a Deo nominatus est pontifex secundum ordinem Melchisedechi.*

11. De quo ordine Melchisedechi, secundum quem Messias sacerdotio praeditus est, multa dici possunt, sed difficile est ea vobis expli-
12-14. care, quia segnes facti estis ad intelligendum, et quum debeatis magistri esse, denuo *indigetis institutione, quae sunt prima elementa de effatis et promissionibus* (*τῶν λογίων*) [138] *Dei* [hic promissiones et effata Dei significari, quibus Patriarchis et patribus liberationem et regnum Messianum annunciaverat, ut in quibus tota de liberatione et regno Messiano spes posita erat, et a quibus exponendis et enarrandis prima quaeque institutio evangelii de Messia regnoque Messiano incipere solebat, vix est quod moneam, cf. §. 14, 2.].
6,1,2. Tamen *primam illam de Messia institutio-*

24.). Itaque melius verbo *futuri* vel alio simili redditur, quam verbo *aeterni*. De iis locis hic non agi, ubi verbum *αἰωνίου* non tempus futurum sed praeteritum significat, reapse patet. Cf. annot. 140.

[138] Vulgaris et simplex vis verborum *τῶν λογίων*, *effatorum*, *oraculorum*, sensum sententiae minime perturbat, igitur verba vexare necesse non est. Genitivus: *τῶν λογίων*, qui a verbo *στοιχεῖα* pendet, genitivus, qui dicitur, objectivus mihi esse videtur et particula *de*, interpretandus. Cf. Winer Grammat. des neutestamentl. Sprachidioms §. 23, 1. p. 76.

nem (*τὸν τῆς ἀρχῆς τοῦ χριστοῦ λόγον*)[139] mittamus, et ad perfectiora progrediamur, non rursus fundamentum jacientes doctrinis tradendis: *de animo ab operibus mortuis* (?) *avertendo* [quid hoc sibi velit, posthac videbimus], *de credendo in Deum* [i. e. de Jehova Deo agnoscendo et colendo]; exponendo *doctrinam de lotionibus* [ad explicandum baptismatis ritum, quod et ipsum in sacris lotionibus numerari debei], *de manibus imponendis* [ad explicandum hunc ritum, qui baptismate peracto fieri solebat], *de resurrectione mortuorum, ac de futuro*[140] *judicio* [v. §. 16, 1—4 et annotationes].

Idque faciemus [i.e. ad altiora progrediemur 6,1.]; 6,3.
namque qui, audito regni Messiani evangelio, 4-6.
et participes facti Spiritus sancti, nec non

---

[139] Magni est momenti, utrum Genitivum *τοῦ χριστοῦ* genitivum objectivum habeas, an genitivum subjectivum. Si illum probas, interpretaris: doctrinam *de* Messia; si hunc: doctrinam Jesu, inter quas duas enuntiationes plurimum interest. Equidem priorem interpretationem probo, quum universo sententiarum ordini, qui nonnisi de singulis rebus doctrinas exhibet, melius accommodata videatur, qua in sententia confirmor similibus exemplis, quae Winer loco supra laudato profert.

[140] Hic ipse locus luculentam praebet confirmationem eorum, quae annot. 128 de vi verbi *αἰωνίου* diximus. Judicium *aeternum, nullo fine terminatum*, absurda esset cogitatio, nam peracto demum illo judicio regnum Messianum incipit. Cf. similes locos: 2 Cor. 4, 17; 2 Thess. 2, 16.

donis coelestibus viribusque mundi futuri fruentes [cf. §. 69, 7.], tamen a Deo defecerunt [v. 3, 12.], ac quasi sibimet ipsis iterum Messiam crucifixerunt [i. e. a Deo deficientes et ad Diaboli partes se transferentes (cf. §. 11, 3, §. 12, 6. et §. 26.) consortes se fecerunt culpae et futurae poenae (§. 16, 1.), quam Diabolus ejusque pars ex occisione Messiae, per Diaboli voluntatem et vim facta (cf. §. 19, 4 et 5.), sibi contraxerunt],
6, 7, 8. tales homines ad Dei partem reduci non possunt, sed, uti terra spinas ac tribulos proferens, reprobati atque ad exustionem damnati sunt.

9, 10. De vobis tamen meliora speramus ob pristi-
11. num vestrum Dei studium, — ac tantummodo cupimus, *ut idem studium praestetis usque ad finem* [hujus aevi v. 3, 14.] *ad obtinendam expletionem* (πρὸς τὴν πληροφορίαν τῆς ἐλπίδος) *spei vestrae* [de obtinenda regni
12. Messiam societate] — et ut fiatis imitatores eorum, qui per fiduciam et constantiam promissa [regni Messiani civitatem] hereditant. [Ita igitur pervenit scriptor ad primum epistolae argumentum: de perseverando in fide.]

13-16. Abrahamo enim propter ejus constantiam (v. 15.) Deus jurejurando per semet ipsum promissionem illam [de regno Messiano, cf. §. 14, 3] confirmavit (Deus enim per alium majorem se ipso jurare nequit),
17. atque hac promissionis suae confirmatione

duplex nobis praebuit promissionis suae vadimonium, ita ut duabus ex causis, quia 6, 18.
Deus promiserit, et quia promissum jurejurando confirmaverit, firmum solatium habeamus, si arripimus promissionem oblatam
[de regno Messiano], quae nobis est quasi ancora 19.
in ipso adyto coelesti [ad Deum ipsum] jacta,
quo nos praegressus Messias (Jesus) *introivit,* 20.
qui est pontifex in totum aevum futurum (εἰς τὸν αἰῶνα) *secundum ordinem Melchisedechi.*

[Adnectens ita mentionem Messiae sententiae illi de firma futurae felicitatis spe, nulla tamen vera inter ambas sententias conjunctione intercedente, scriptor ad propositum rediit, exponendi scilicet: quatenus Messias pontificis partes suscipiens eisdem conditionibus usus sit, ac Melchisedechus. Quo consilio exponitur, qua conditione ille Melchisedechus usus sit. Prius vero explicatur, quis fuerit Melchisedechus ille].

Ille enim Melchisedechus fuit simul et rex Sa- 7, 1.
lemi et sacerdos Jehovae (summi Dei), qui victori Abrahamo benedixit, atque ab eo decimas sumsit.

[1. Quae vis ejus nomini insit]. Melchisedechus re- 2.
gem justitiae, ac rex Salemi regem pacis significat.

[2. Quam divinae fuerint vitae ejus conditiones]. Nullo 3.
patre, nulla matre usus est, nulla genealogia; neque initium neque finem vitae habuit, ac Dei filio [Messiae] similis *in perpetuum* sacerdos manet.

7,4. **[3. Quantus fuerit]. Superior ipso Abrahamo fuit, quum hic decimas ei dederit.**

5. **Nam Levitae quidem ab aequalibus [a popularibus] decimas recipiunt,**

6 et 7. **ibi vero superior quidam, ad genus Levitarum non pertinens, ab inferiore, quum Melchisedechus Abrahamo bene precatus sit, quod non fit nisi inferiori a superiore;**

7,8. **insuper Levitae sunt mortales, ille vero immortalis fuit;**

9,10. **denique ipsi Levitae ei decimas dederunt, nam tum temporis, quum Abrahamus decimas dedit, proauctor Levitarum in Abrahami lumbis fuit.**

[Jam vero scriptor haec, quae de Melchisedecho exposuit, ad Messiam accommodare omittit, ac prorsus obliviscitur demonstrare, quomodo conditiones, quibus Melchisedechus pontificis partes agens usus sit, etiam in Messiam pontificis munere fungentem quadrent. Etiam hic, ut jam pluries (vid. 2, 5; 2, 8; 3, 4.), scriptor ingenio lectorum maximi momenti res cogitatione supplendas relinquit, quam magnam lacunam ab interpretibus adhuc non animadversam esse, jure mireris. Ea autem hoc fere modo expleatur necesse est:

Ita etiam Messias, aeque ac Melchisedechus, una rex et pontifex (quia nomen Messiae sonat regem, ac Messias redimendo et expiando populo Dei sacerdotali munere perfunctus est),

1° parimodo nominatur rex justitiae משיח צדקנו[141],

---

[141] Cf. quae scribit Abarbanel in libro Majene hajeschuah, fol. 64, col. 1 et 2 ad explicanda verba Danielis (9, 24.): Sep-

Messias justificator, ut in multis librorum rabbinicorum locis invenire potes (cf. annot. 97, ubi hoc nomen pluries occurrit), quia populum Dei expiando justum reddit; nec non nomen ei est regi pacis, מלך שלום [142] (pacis fu-

---

tuaginta hebdomades constitutae sunt ...., donec ungitur Sanctus Sanctorum:

פירוש למשוח קדש קדשים על משיח צדקנו.

i. e. Verba: donec ungitur Sanctus Sanctorum significant *Messiam justitiam nostram.* Nec minus regnum Messianum in eodem libro fol. 39, col. 1 med. nominatur: מלכות העתידה למשיח צדקנו.

i. e. regnum futurum *Messiae justitiae nostrae.*

Qui dicendi mos originem ducere videtur e verbis Jeremiae (23, 6.): Et hoc est nomen, quo eum vocabunt: Jehova justitia nostra; v. quae Kimchi dicit ad explicandum hunc locum:

יקרא המשיח בזה השם יהוה צדקנו, לפי שבימיו יהיה צדק יי״ לנו קיום תמיד.

i. e. Vocatur Messias hoc nomine *Jehovae justitiae nostrae*, quia diebus ejus justitia Jehovae nobis sempiterna stabilitas erit. Vel ut in libro Sepher Ikkarim, maamar scheni, c. 28, fol. 44, p. 2 dicitur:

ויקרא הכתוב שם המשיח יהוה צדקנו להיותו אמצעי אל שנשיג הצדק מהשם על ידו.

i. e. Vocat sacr. scriptura nomen Messiae *Jehovam justitiam nostram,* quia mediator est, per quem adipiscimur justitiam a Deo.

Ob eandem causam praecipue Messiam ben Joseph hoc nomine justificatoris appellari supra vidimus annot. 97.

[142] Sohar, Tom. II., par. Thrumah, fol. 127, pag. 2:

המלך שלמה, מלכא דשלמא דיליה. ורא איהו מלכא עלאה, המלך סתם, רא מלכא משיחא.

i. e. Rex pacis, id est rex cui est pax, et is est rex superior, rex absolute ita dictus, rex Messias.

Qui dicendi mos pari modo ex loco quodam sacr. script. ortus esse videtur, scilicet e vaticinio illo Jesaiae (9, v. 7.):

turae et sempiternae in regno Messiano, v. c. **12**, 26—28; Diabolo enim ejusque parte victis, neque ullo amplius bello exsistente parti Dei cum parte Diaboli, populus Dei in regno Messiano sempiternae pacis et tranquillitatis conditione fruitur, cf. §. **16**, 9.).

2° Messias non minus est divinae originis (quia est filius Dei), atque etiam pontifex in perpetuum (quia e scriptoris doctrina novi foederis (**8**, 6 sqq.) sacerdotium, quo Messias fungitur, ob ejus immortalitem non ut pristinum Mosaicum ab alio pontifice ad alium transfertur, sed per totum regni Messiani tempus in Messia remanet, vid. **7**, 23 et 24.).

3° Messias denique secundum universam Judaeorum sententiam major est Abrahamo et patribus [143].

Omnibus igitur conditionibus, quibus Melchisedechus fruitus est, etiam Messias utitur. — Hac vero demonstratione omissa, scriptor statim transit ad explicandam causam, ob quam Messias, permutata lege sacerdotali, ad novum quendam ordinem eumque meliorem, ac non ad usitatum Leviticum, pontifex fieri debuerit.]

Parvulus natus est nobis, ... et vocabitur nomen ejus: ...... *princeps pacis.* Quae verba Jonathan ita interpretatur:
ואתקרי שמיה......משיחא דשלמא יסגי עלנא ביומוהי.
i. e. Et nominatur nomen ejus...... *Messias,* cujus diebus *pax* augebitur de nobis.

[143] Vide Bertholdti Christol. §. 22, annot. 5, p. 101; cf. Jalkut Schimoni, Tom. II, fol. 85, col. 2:
מלך משיח....הוא גדול מן האבות,......ונשא מן משה, וגובה ממלאכי השרת.
i. e. rex Messias major est patribus, excelsior Moyse, et elatior angelis ministerii.

Nonnisi quod sacerdotium leviticum invalidum 7,11.
fuit ad perficiendam expiationem, *novum hunc*
pontificem constitui necesse fuit, *ex alio qui-*
dem atque usitato Levitico ordine, *ex ordine*
Melchisedechi,

nam permutatione pontificis etiam permutatio- 12.
nem legis [sacerdotalis] fieri necesse erat; id quod
ex eo apparet:

1. quod Messias, novus pontifex, ortus est ex 13,14.
tribu, cui sacerdotium usque eo alienum fue-
rat, ex tribu Juda, cui lex Mosaica sacerdotium
non dat,

2. quod novus pontifex alio ac vulgari respectu 15-17.
habito creatus est,

non enim creatus est vi legis cujusdam ad corpus pertinentis [non igitur propter genus, ex quo ortus est],

sed respectu habito vitae ejus aeternae [ad id probandum laudatur effatum illud Dei, Ps. **110**, 4.].

Haec vero *abrogatio praecedentis mandati* [de 18.
constituendis pontificibus, abrogatio pristinae legis sacer-
dotalis] facta est ob ejus infirmitatem.

Nam ne universa quidem lex quidquam ad ab- 19.
solutionem adducere potuit [144].

---

[144] Hunc versum ita de universa lege Mosaica interpretandum esse, neque de sola lege sacerdotali, e conjunctione sententiarum aperte patet. Etenim si verbum *νόμου* eandem haberet vim ac verbum *ἐντολῆς*, intolerabilis oriretur *ταυτολογία*; posteriore sententia: *οὐδὲν γὰρ ἐτελείωσεν ὁ νόμος* prorsus idem significante, ac priore, quae *ἐντολὴν* (*τῆς ἱερωσύνης*)

Jam vero melior spes [expiationis, v. 25] nobis data est [per meliorem Messiae pontificatum],

7, 22. ***melioris* enim pacti [foederis, διαθήκης, v. annot. 79.] sponsor est Messias (Jesus),**

20, 21. **1. quum sacerdotium ejus jurejurando confirmatum sit; jurejurando enim Messias pontifex constitutus est [quod probatur per effatum illud saepius jam laudatum, Ps. 110, 4.], quod non ita evenit prioribus sacerdotibus;**

23-25. **2. quum prius sacerdotium ob mortalitatem sacerdotum mutabile fuerit, contra Messiae sacerdotium immutabile et constans sit, quia pontifex est in aeternum; quapropter Messias perpetuo salvos eos reddere potest, qui per eum ad Deum accedunt, quum, in perpetuum vivens, perpetuo pro eis apud Deum intercedere possit.**

26, 27. **Ac talis quidem pontifex *melior*, sanctus, a peccatis vacuus, coelis excelsior factus, opus nobis erat, pontifex, qui non necesse haberet, sic-**

---

abrogatam esse dicit διὰ τὸ αὐτῆς ἀσθενὲς, i. e. quia vim non habuit expiandi. Quae etiam ea re confirmari videntur, quod scriptor de lege sacerdotali agens in priore versu verbo ἐντολῆς utitur, hic vero verbum νόμου usurpat, qua mutatione verborum simul mutationem rerum indicari vero simile est. E nostra interpretatione ambae sententiae ita cohaerent, ut posterior rationem et causam prioris praebeat: Lex (ἐντολή) sacerdotalis abrogari necesse erat, quia debilis fuit; universa enim lex (νόμος), igitur etiam lex sacerdotalis, absolvere, i. e. ad expiationem adducere non potuit.

ut pristini sacerdotes, singulis diebus sacra facere, et pro suis et pro populi peccatis, sed semel tantum sacrum faceret se ipsum offerendo (nam illi debiles homines, hic Dei filius 7,28.
fuit.)

Tertio vero tanquam caput rei ad ea, quae jam 8,1.
diximus, accedit:

Noster pontifex [Messias] pontifex est *veri coelestis* 2.
sacri non ab hominibus sed a Deo ipso conditi [cf. §. 2 et annot. 2.].

Namque, quum omnis pontifex sacra obferre 3,4.
debeat,

in terra ille sacerdos esse omnino non posset, quia hic in terra jam sunt, qui sacra faciunt, atque hoc sacrum terrestre colunt,

(quod nonnisi imago et umbra est coelestis 5.
illius aedis, uti Moysis testimonium probat) [2 Mos. 25, 40; cf. §. 14, 3. annot. 40.].

[Igitur, quia in terrestri templo sacra offerre ei non licet, nusquam nisi in coelo, in coelesti Dei aede, sacra facere potest, ideoque veri coelestis templi pontifex est; id quod erat demonstrandum. Iterum scriptor caput argumentationis omittit, ac lectori cogitatione supplendum relinquit.]

Quarto denique Messiae eo *praestantius* obtigit 6.
sacerdotium [hac sententia scriptor antecedentia sequentibus adnectere studet], *quanto etiam melioris* [quam Mosaici] mediator [cf. §. 16, 7.] est *pacti* [testamenti, foederis], quoniam melioribus promissionibus [cf. quae ad 9, 11 annotamus] constitutum est.

8,7-12. 1[mum] *argum.* Si enim primum pactum *perfectum fuisset* et ab *omni vituperatione vacuum*, novo pacto opus non fuisset, quod tamen faciendum Deus effato illo [Jerem. 31, 31 sqq.] statuerat. [Novum igitur pactum perfectius et melius pristino sit necesse est.]

13. (Simul consequitur, novo hoc pacto pristinum abrogatum esse.)

2[dum] *argum.* [Novum pactum etiam m e l i o r i b u s ornatum est PIACULIS (δικαιώμασι)[146], r e b u s e t i n s t i t u t i s p i a c u l a r i b u s.]

---

[146] Hanc verbi *δικαιώματος* interpretationem hisce probari posse arbitror argumentis: *μα* syllaba finali duplex nominum substantivorum genus e verbis derivatur, unum, quod rem factam indicat, i. e. sive ipsam confectam verbi actionem, sive rem e confectâ verbi actione effectam et ortam, qualia sunt *πρᾶγμα*, *δράμημα*, *ῥῆμα*, *πλάσμα*, *βούλευμα*, *δόγμα*, *δίδαγμα*, *μάθημα*, *ἐπίταγμα*, *κρίμα*, etc., alterum quod rem conficiendae verbi actioni servientem, instrumentum vel adjumentum, vel simile quiddam significat, qualia sunt: *μηχάνημα*, *κατασκεύασμα*, *δέσμα*, *ἐπικούρημα*, *ἀλέξημα*, *ἴαμα*, *ἄκεσμα*, *ὑγίασμα* etc. Nomen *δικαιώματος* nonnisi priorem illam vim habet, e qua decretum, statutum, legem, jus, rem justam declaratam significat. Quem dicendi usum etiam LXX interpretes sequuti sunt, vocabula משפט, מצוה, חקה, חק, פקודים vocabulo *δικαιώματος* reddentes. Hoc vero loco noster secundum analogiam vocabulorum *καθάρματος*, *ἁγνίσματος*, *ἱλάσματος*, *ἀφοσιώματος*, voci *δικαιώματος* alteram illam significationem tribuit. Significat enim hoc nomine rem, qua actio verbi *δικαιοῦν* perficitur et in effectum adducitur, rem quae hominem justum reddit, justificat, expiat — rem justificantem, piacularem — piamentum, piaculum, quasi dixeris justificamentum (justificationem Vulgata haud male vertit).

Habuit quidem et pristinum pactum *piacula cul-* 9,1-5.
tus divini [sacrificia, diem expiationis, etc.] et sacrum
terrestre, cum tabernaculo antico et postico et
eorum suppellectile, sed

a. [quod ad universum attinet sacri terrestris cultum et
sacerdotium:]

in *priori quidem tabernaculo* sacerdotes *quo-* 6.
tidie ministrabant,

in *secundum autem tabernaculum* [in adytum] 7.
solus pontifex semel in anno inibat, sanguinem

Haec vocabuli δικαιώματος significatio manifesto apparet quum e totius hujus quaestionis (inde a c. 9, v. 1. usque ad c. 10, v. 18 incl.) argumento et sententiarum conjunctione, tum etiam e contextu verborum v. 10, c. 9. Totus ille locus versatur in comparanda perfecta et absoluta expiatione, quam Messias morte sua redemtoria effecit, cum imperfecta et debili illa, quam lex Mosaica sacrificiis, die expiationis, ceterisque ritibus piacularibus efficere studet. Ordo sententiarum in hunc finem alius esse non potuit, nisi hic: Habuit quidem et vetus Mosaicum pactum piamenta, quibus eum, qui peccaverat, justum et insontem reddere poterat: sacrificia quotidiana, diem expiationis, ablotiones etc., sed haec piamenta imperfecta fuerunt et debilia. Contra novum pactum per Messiam factum perfectam et ab omni parte absolutam expiationem praebet. In qua sententiarum serie usitata verbi δικαιώματος significatio nullum omnino locum habere potest, sed ratio postulat, ut illi δικαιώματος voci, in initio argumentationis positae, ipsa potissima et principalis argumentationis notio insit. Quae notio non alia est, nisi illa expiationis.—Hanc eandem vocabuli δικαιώματος vim locus c. 9, v. 10. probat. Dicit ibi scriptor: legem Mosaicam hominem juxta conscientiam absolvere (expiare) non potuisse, quum solum circa puros cibos et potus,

hostiae offerens ad expiandum semet ipsum et populum;

9,8. qua re significatur, *nondum patere viam ad adytum* [viam ad adytum esse obstructam, aditum sanctissimi esse praeclusum, nihil aliud significat, nisi: nullam datam esse facultatem expiationis; etenim quum expiatio nusquam nisi in adyto fieri posset, adyto clauso, nulla omnino expiatio locum habere potuit], *quamdiu stat tabernaculum anterius* [i. e. divinus primi pacti in terresti sacro cultus; igitur argumentationis sensus est: habuisse quidem pristinum pactum piacula, sed ea expiare non potuisse,]

9,10. anterius enim tabernaculum [cujus cultus ad perficiendam expiationem prorsus nihil efficere potest, quia expiatio in adyto fieri debet] congrua est

---

varias lotiones et δικαιώματα τῆς σαρκὸς versaretur. Jam haec vocabulorum δικαιώματα τῆς σαρκὸς cum ablotionibus conjunctio aperte docet, sub iis item res purgatorias, piaculares subintelligi debere, itaque illa vocabula non nisi: piamenta corporis, res quae solum corpus purificant, expiant, interpretanda esse; si enim ea «leges corporis vel leges externas» vertere velles, nullus aptus sensus his verbis inesset. — Itaque quum et totius quaestionis argumentum et hujus loci conjunctio verborum hanc vocis δικαιώματος significationem postulet, neque analogia nominum in μα syllaba finali desinentium huic interpretationi obstet, immo eam adjuvet, satis me defendisse puto, quod vocabulum δικαιώματος vocabulo *piamenti, piaculi*, reddidi, etsi vero simile est, praeter nostrum neminem scriptorum graecorum huic verbo hanc vim tribuisse; sed et aliis in rebus scriptores N. T. a communi Graecorum usu loquendi recedunt.

similitudo praesentis temporis [hujus aevi, vel proprius dixeris: praesentis divini in sacro terrestri cultus secundum primi pacti leges instituti], **quod** ***ad absolutionem*** [perfectam expiationem] ***adducere nequit*****, quum solum** ***piacula corporis*** [lotiones, leges cibarias, etc.] **habeat;**

quae piacula ideo tantummodo usque ad 9, 10.
tempus emendationis [pacti et legis, quae Messiae tribuitur, v. §. 16, 7. annot. 79.] **valent** [jam igitur abrogata sunt, quum Messias novum et melius pactum morte sua jam constituerit, §. 29, 1.].

Messias contra pontifex futurorum bonorum 11-12.
[eorumque verorum bonorum, quae novum pactum in regno Messiano praebet [146], et cujus solas imagines cultus ac sacerdotium primi pacti praebere potuit, i. e. non ipsam veram expiationem ac civitatem regni Messiani ab ea pendentem, v. 10, 1.] **non per terrestre hoc tabernaculum ab hominibus erectum nec cum hostiarum sanguine, sed per sacrum illud coeleste, quod non hujus est creationis sed ab ipso Deo conditum** [cf. §. 16, 1, annot. 62.], **cum** ***suo proprio sanguine*** **in adytum iniit** ***semel*****, atque** ***aeternam redemtionem adeptus est.***

[Quae jam sequuntur ad hanc sententiam confirmandam et explicandam spectant. Primo ad vocem redemtio-

---

[146] Quae sint illa bona futura, quibus pii in regno Messiano fruituri sunt, facile conjici potest: expiatio perfecta et sanctificatio, adoptio in numerum filiorum Dei, societas regni Messiani, habitatio in Hierosolyma coelesti, et felicitas ac delectationes piis paratae.

nis annotatur, eam pertinere etiam ad eos, quibus epistola data est.]

9,13. **Etenim si sanguis hostiarum purgat pollutos,**

14. **quanto magis sanguis Messiae purgabit conscientiam vestram ab *operibus mortuis* (?), *ut ad Deum vivum colendum apti sitis?***

15. **Nam hoc ipso consilio novi pacti mediator est, ut *redemtione* peccatorum sub primo pacto commissorum per mortem ipsius perfecta** [cf. 2, 14 et 15.] **omnes ii, qui ad hereditatem** [civitatis in regno Messiano] **vocati sunt, (in quorum numero et vos estis,) promissum** [regni Messiani civitatem] **accipiant.**

[Tum ad verba proprio sanguine exponitur, cur Messiae moriendum fuerit.]

16,17. [Messiae vero mors necessaria erat], **nam ubi testamentum** [pactum, διαθήκη], **ibi necesse est *mori testatorem*, non enim nisi mortui testamentum valet.**

18-22. Ideo primum quoque pactum *non sine sanguine* initiatum est, quum populus asperso sanguine purgaretur, atque tabernaculum ejusque vasa sanguine asperso sacrata essent, nec non omnes fere res sanguine purgarentur.

23. Id quod his quidem rebus, quae nonnisi imagines sunt verarum rerum coelestium, sufficere potest,

res vero coelestes ipsas, sacrum coeleste, praestantiori *sacrificio* consecrari necesse erat,

24. etenim non in adytum ab hominibus condi-

tum, quod veri coelestis adyti tantummodo imaginem referret, sed in ipsum verum coeleste adytum iniit Messias, ut intercederet pro nobis apud Deum [cf. **2**, 18.];

[Denique ad vocem semel demonstratur, cur Messiae non pluries se sacrificare necesse fuerit.]

nec vero ut pluries [piaculum] se offerret Deo, 9,
uti terrestris pontifex, qui alieno sanguine sin- 25,26.
gulis annis in adytum init, sed *semel* in fine hujus aevi [in adytum coeleste iniit], semet ipsum victimam offerens,

uti homini *semel* est moriendum, ac tum sta- 27.
tim poena [judicio jam in momento moriendi de homine habito, cf. §. **11**, 4, annot. 15; cf. annot. 77.] ei instat, [nulla amplius de peccatis actione habita];

ita etiam Messias *semel* se sacrificavit ad redi- 28.
menda multorum peccata [cf. **2**, 14, 15.], ac tum absoluta et seposita omni de peccatis actione [absoluta et seposita omni expiatione], solum ad efficiendam salutem [liberationem, et ad regnum Messianum constituendum, cf. §. **19**, 8 et §. **15**, 1.] reveniet.

[Jam igitur transitus factus est ad tractandam alteram argumentationis partem, qua probare vult scriptor, etiam ipsa piacula pristini pacti invalida fuisse, soloque novo pacto perfectam praeberi expiationem.]

b. [Quod jam ad ipsa piacula attinet, i. e. ad ritus 10, 1.
divini cultus piaculares,] quum *lex* [vel pristinum pactum] solam umbram futurorum bonorum neque haec ipsa [v. quae ad **9**, 11, 12 annot.] prae-

stoli...., dicentes: *postremo tempore* exstituros esse tales irrisores; his verbis suam aetatem fini hujus mundi propinquam esse, itaque regnum Messianum brevi instare declarans.

§. 49. 1. Quae omnia inclinatiores nos reddere debent ad conjecturam faciendam: etiam nostrae epistolae scriptorem iisdem ac ceteros apostolos persuasionibus imbutum fuisse, ac vocabulis sententiisque epistolae nostrae illas de regno Messiano opiniones fundamento esse. At fortasse dicat aliquis: Nisi exspectatio regni Messiani in epistola disertis verbis enuntiata est, vocabulis ut sententiae opinionibus illis accomodatae subjiciantur, fieri quidem potest, sed jure id fieri probari non potest.

2. Sed omnis tollitur dubitatio, si eandem, quam supra e ceterorum Apostolorum epistolis protulimus sententiam, etiam in nostra epistola reperimus. Dicit autem scriptor (5, 25.): Ne deseramus coetum nostrum, ut quorundam est mos, praesertim quum *diem appropinquare* videatis; qui vero dies intelligendus sit, luce clarius fit v. 37. ejusd. cap., ubi Habacuci verbis utens scriptor: Perquam brevi, inquit, mora interjecta, venit is qui venturus est, et non tardabit. Quibus locis aperte probatur scriptorem Messiae adventum ad condendum ipsius regnum aeque ac ceteros Apostolos brevi exspectasse. Porro si nesciremus, quid sibi vellet *mundus ille futurus, de quo se agere* scriptor dicit (2, 5.),

atque illud *regnum inconcussum*, quod Dei cultoribus instare argumentatur (12, 26—29), locus ille (12, 22—24.), ubi plura enumerantur, quae ad regnum Messianum pertinent (Hierosolyma coelestis cum aede coelesti monti Sion imposita, myriades angelorum, congregatio primogenitorum, i. e. Israelitarum tum temporis superstitum, turba spirituum perfecte piorum etc.), et eo quidem ordine enumerantur, quo in constituendo et consecrando regno Messiano se excipiunt, hic locus, inquam, luce clarius demonstraret, quales sententiae illis vocabulis subjiciendae essent. Quum praeterea judaica de redemtione doctrina (2, 14, 15.) breviter exponatur, quum judicii extremi (10, 27.), resurrectionis piorum mortuorum (11, 35.), renovationis mundi (12, 26.), mentio fiat, totam fere judaicam doctrinam in epistola nostra tactam et significatam invenias.

§. 50. 1. His igitur de causis non modo licet, sed necesse est, omnia verba sensum infinitum ac significationem incertam habentia ita explicare, ut ad doctrinas illas referantur. Ac tum demum, si ejus generis interpretatio manifesto contorta et coacta esset, ac longius repetita videretur, alia interpretandi via ineunda esset. Illud vero mihi in interpretandis hujus epistolae verbis contigisse vix crediderim.

Quibus argumentis jam satis defendisse spero, quod verba: Promissiones Dei, salutem, spem, bona futura, hereditatem, hereditatem promis-

sam, heredes promissionis, quiètem, quietem sabbati, pacem, illud aevum, aevum futurum, mundum futurum, regnum inconcussum, vocationem coelestem, et hujus generis plura, — quod, inquam, talia ad opiniones de regno Messiano retuli, iisque sententias his opinionibus accommodatas subjeci.

2. Praemissis his ad evitandam vituperationem, nos intrusisse epistolae sententias, quas in ea reperire voluissemus, jam ad exponendum epistolae argumentum transgrediamur.

CAPUT XI.

§. 51. 1. Accuratius epistolam perlegentes, facile videmus, scriptorem non in una eademque materia versari, sed duas tractare res, quae nullo negotio una ab altera sejungi possunt. Altera magis in adhortationibus versatur, altera magis in institutione. Neutra ex altera pendet; quae ad institutionem lectorum spectat, minime muniendae et confirmandae alteri illi inservit, quae lectores ad commutandam et corrigendam agendi quandam rationem adhortatur, neque haec consectarium est vel applicatio earum rerum, quas in priore exposuerat scriptor.

2. Duo igitur sunt epistolae argumenta, sibi non finitima, et quamquam singula utriusque argumenti membra alternis posita sunt, ac se invicem excipiunt, tamen nullus iis inest interior nexus. Hac ratione sex disjungi possunt disputationis membra.

§. 52. 1. In primo disputationis capite argumentatur scriptor sic: lectoribus nuntium de regno Messiano antehac per prophetas, novissime vero per ipsum Messiam, qui verba sua portentis confirmaverit, perlatum contemnere non licere ob augustam Messiae dignitatem et potestatem, quippe qui sit filius Dei, ipsis ange-

lis multo praestantior, ac rex dominusque mundi futuri (i. e. regni Messiani), ne forte regno Messiano excidant.

2. In secundo capite exponitur causa, qua motus Messias, neglecta augusta sua dignitate, homo factus breve tempus infra angelos se submiserit, nimirum ut humanum corpus induendo et in persona hominis moriendo populum Dei ex potestate Diaboli morte sua vicaria redimeret, atque ita fidum populi Dei pontificem se praeberet.

3. In tertio admonentur lectores, ut fidem Messiae, quam Deo in officio hoc exsequendo praestiterit, et quae vel Moysis fidei antecelluerit, sibi imitandam proponant, ne promissiones Dei de regno Messiano in dubium vocent, neve fiduciam earum, quam adhuc habuerint, abjiciant, quum ex eadem causa Israelitarum illud genus, quod per desertum migravit, propter dubitationes de Dei promissionibus e regno Messiano exclusum sit; tum scriptor demonstrans: regnum Messianum adhuc instare, quia promissio Dei illis Israelitis data nondum usurpata sit; lectores adhortari studet, ut regnum Messianum perseveranter exspectent.

4. Quartum caput uberiorem exhibet expositionem doctrinae de pontificatu Messiae, quam scriptor in secundo capite introduxerat. Exponitur I^mo. Messiam maxime misericordem esse pontificem; II^do eum a Deo ipso constitutum esse, neque vero secundum ordinem Aaronis, sed in

modum Melchisedechi, lege sacerdotali commutata vetereque lege abrogata; (sed priusquam altiorem hanc doctrinam exponit scriptor, admonitionem inserit, ut lectores animos hebetes factos et refrigeratos ad pristinum Dei studium accendant, atque usque ad finem in *fide* perseverent;) III^tio^ docetur Messiam ipsius coelestis sacri pontificem esse; IV^to^ eum mediatorem esse novi et melioris pacti (foederis), longe melioribus piaculis instructi, quapropter etiam perfectam eum et diuturnam expiationem effecisse.

5. In quinto capite iterum exhortatio sequitur, ut fiduciam Dei ejusque de regno Messiano promissionum firmam teneant, quia post expiationem per Messiam factam nulla alia ad expiandam eorum defectionem futura sit; immo pios homines pristinarum aetatum, qui propter fidem Deo habitam et fiduciam regni Messiani justi declarati sint, tamquam fidei exempla imitandos sibi proponant (in qua argumentatione scriptor vult, Patriarchas atque omnes omnino majores persuasum habuisse regnum Messianum futurum esse, idque exspectasse). Propositis his patriarcharum et patrum exemplis scriptor ad retinendam fidem exhortari pergit, lectores admonens, ut Diaboli sollicitationi ad defectionem resistant, ejusque vexationes firmiter sustineant, secundum Messiae exemplum respicientes propositum gaudium futurum, quippe non res horridae *ipsis instent*, ut olim Israelitis apud montem Sinai,

sed amoenissimae et laetissimae, i. e. regnum Messianum; ad quod confirmandum vaticinii cujusdam explicatione probat, regnum Messianum non concussum neque turbatum iri.

6. Sextum denique caput inter quaedam virtutum praecepta et post dehortationem a legibus judaicis circa cibos rursus admonitionem habet ad appetendum regnum Messianum, sumtam ex allegoria de Messiae morte expiatoria ante urbis portas obita.

§. 53. 1. Caput primum, tertium, quintum, nec non pars sexti diversis argumentis monent, in exspectando regno Messiano firmiter perseverandum esse, primum propter dignitatem et potestatem Messiae, qui multis portentis id nuntiaverit, deinde propter poenam eorum, qui simili modo Dei promissiones in dubium vocaverint, tum propter praemium et laudem piorum majorum, quibus de regno Messiano certissime persuasum fuerit, tum propter regni Messiani amoenitatem et jucunditatem, denique ut lectores appetendo regno Messiano extra hunc mundum sito imitentur exemplum Jesu extra urbem mortem perpessi. Quibus argumentis simul duo annexa sunt alia, quorum altero ex quiete populo Dei promissa sed nondum usurpata regnum Messianum adhuc instare probatur, altero regnum Messianum quietum et pacificum fore demonstratur.

2. Contra caput secundum et quartum ube-

riorem continent doctrinae de pontificatu Messiae expositionem. Caput secundum summam exponit doctrinae judaicae de redemtione, quae alteri de pontificatu Messiae tamquam fundamento est, hanc ipsam autem copiosius explicatam in quarto capite reperimus.

CAPUT XII.

§. 54. 1. Jam hoc epistolae argumentum comparemus cum illo, quod e vulgári conjecimus opinione, qua putant epistolam datam esse ad Christianos judaicos ad defectionem a Christianorum parte inclinatos.

2. Suprà (c. IX, §. 37.) vidimus, Christianum judaicum a Christianorum partibus nulla alia ratione deficere potuisse, nisi rejiciendo sententias illas, quibus solis Christiani judaici a Judaeorum doctrina recedebant (v. §. 21.), scilicet sententiam, qua putabant Jesúm fuisse Messiam, ac doctrinam de duplici Messiae in terram adventu. Igitur epistola ad talem Christianum eo consilio scripta, ut eum a transitu ad Judaeorum partes detineret, potissimum in demonstrandis et confirmandis illis sententiis versari debebat (v. §. 38.).

§. 55. 1. Num verum epistolae argumentum cum illo congruit, quod ex rei natura conjeceramus?

2. Minime quidem. Lectores quidem epistolae ad defectionem propensissimos fuisse, ex epistola aperte patet. Sed quod scriptori ante omnia disputandum et demonstrandum erat, si lectores ad defectionem propensi judaici Christiani fuis-

sent, ejus ne vestigium quidem in epistola reperitur.

3. Quae sententia totius disputationis summa esse debebat, quum omnes aliae ex ea penderent, in qua igitur stabilienda et confirmanda omne scriptoris studium erat collocandum, sententia, qua putabant Jesum esse Messiam, i. e. Messiam in persona Jesu in terra jam apparuisse, et quod inde sequitur: eundem Jesum ad condendum regnum Messianum rediturum esse, ea ne verbo quidem commemorata est. Immo scriptor lectoribus suis, Jesum esse Messiam, tam persuasum esse existimat, ut nominibus Jesu et Messiae tanquam eandem vim ac potestatem habentibus promiscue utatur. Non solum enim ambobus nominibus conjunctim utitur, sed etiam ipsum Jesu nomen pro nomine Messiae usurpat (v. 2, 9; 7, 22; 12, 24; et alios locos), quod facere non potuisset, si putavisset lectores dubitare, an Jesus vere esset Messias.

§. 56. 1. Contra pro his omissis doctrinis aliae exponuntur, quae ad conditionem animumque Christiani judaici ad defectionem propensi prorsus non spectant. Confirmatur fiducia regni Messiani, attingitur doctrina de redemtione, fusius explicatur doctrina de Messiae sacerdotio vel pontificatu.

2. Quid sibi vult confirmatio spei Messianae in judaico Christiano, cui de ea dubitare nunquam in mentem venire poterat, et qui sive in

Christianorum societate permanebat, sive ad Judaeorum partes redibat, regni Messiani spem aeque firmiter tenebat? An Christianus ideo Judaeus fiebat, quod de regno Messiano dubitabat, quasi Judaei non aeque certo ac Christiani de regno Messiano sibi persuasum habuissent?

3. Altera illa epistolae doctrina de pontificatu Messiae, cui brevis doctrinae de redemtione adumbratio fundamento est, conditioni talium Christianorum judaicorum non minus est aliena; ego quidem frustra desudavi, ut indagarem, quod consilium in exaranda hac epistolae parte scriptori fuisset, si judaicis Christianis consulere volebat.

§. 57. Toti igitur epistolae argumento cum conditione Christiani judaici ad defectionem propensi nihil omnino commune est, alterum alteri minime quadrat. Neque admonitionibus ad retinendam regni Messiani spem, neque uberrima doctrinae de pontificatu Messiae expositione consilium a Christianorum parte deficiendi et judaicam doctrinam amplectendi ullo modo commutari vel reprimi poterat. Nam Christianus judaicus etiam Judaeus factus regnum Messianum credere ac doctrinam de Messiae pontificatu, siquidem eam antea probaverat, postea quoque probare poterat.

CAPUT XIII.

§. 58. 1. Contra, quae de judaicis Christianis explicata nullum habent sensum, tanto melius quadrant in Christianos genere gentiles.

2. Jam hoc ipsum quod lectores epistolae putantur ad desperationem de regno Messiano propensi esse, sive illi desperabant regnum Messianum mox eventurum esse, sive dubitabant, an omnino futurum esset, hoc, inquam, evidentissime probat, eos Judaeos genere fuisse non posse. Judaeus a puero in spe regni Messiani educatus, Christianis se adjungens minime eam abjiciebat, sed potius, quum ei persuaderetur Messiam in persona Jesu primum jam in terram venisse, in illa spe confirmabatur; etenim si Messias primum jam in terram venerat, certo ultima hujus aevi tempora jam adesse debebant, atque necessario secundus Messiae ad condendum regnum Messianum adventus proxime instare. Est igitur illorum temporum ignari putare: Christianum judaicum propter dubitationes de regno Messiano potuisse inclinatum esse ad deserendas Christianorum partes, quasi rejicienda doctrina de regno Messiano Judaeus factus esset, ac soli Christiani Messiam exspectassent, Judaei vero non item. Quin minima de regno Messiano dubitatione ali-

quis tam a Judaeorum quam a Christianorum societate segregatus esset, nam utraque pars hanc doctrinam pari religione tuebatur, utrique hoc caput erat omnium de rebus divinis persuasionum, atque in ea omnis utriusque partis spes versabatur. Quid, quod ex Josephi libris de bello Judaico notum est, Judaeorum illius aetatis fiduciam regni Meſsiani usque ad furorem auctam fuisse? Ac si ipsa Hierosolymae expugnatio hanc fiduciam ne minuere quidem potuit, nedum eam deleverit, si Talmud et Medraschim pleni sunt spei Messianae, si Judaei usque ad hunc diem spem Messianam velut cardinem totius disciplinae habent, ne in cogitationem quidem cadere potest, unum ex Judaeis illius aetatis dubitationem de regno Messiano habere potuisse.

2. Jam quod in Christianos judaicos cadere non posse vidimus, id in Christianos genere gentiles optime quadrat. Hi enim posteriore tempore, quum aetatem, cui nuntius de Messia Messianoque regno (εὐαγγέλιον) nuntiatus erat, sensim mori viderent, atque adventus Messiae diutius differretur quam initio speraverant, spei regni Messiani diffidere coeperant. De qua re posteriores N. T. libri testimonia dant. Petrus in sec. epistola sua (sive quis alius hanc epistolam scripsit) ita dicit (3, 3, 4 et 9.). Id vobis sciendum, ultimis diebus venturos esse irrisores .... dicentes: Ubi est promissio adventus ejus? ex quo

enim patres vita defuncti sunt, omnia sic perseverant, uti ab initio creationis fuerunt....... Sed non moratur Dominus promissionis [Messias], sicut quidam interpretantur, sed longanimus est erga nos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam converti. Item Johannes in apocalypsi de coetu Christianorum Ephesio haec dicit (2, 4.): In eo te reprehendo, quod priorem tuum amorem abjecisti; ac de Christianis Laodicensibus (3, 15.): Novi tua opera, neque calidus neque frigidus es; quia tepidus es, te exspuam. Excisa Hierosolyma ac gentilibus Christianis a judaicis plane separatis, id quod non ita multo post deletam Hierosolymam accidit, spes Messiana inter Christianos gentiles (longe majorem numerum efficientes, quum judaici Christiani magis magisque evanescerent,) in dies diminuebatur. Prioribus quidem seculis numerus eorum, qui doctrinam de regno Messiano probarent, major erat, posterioribus vero temporibus hic numerus magis magisque imminutus est, donec ab iis, qui spem illam rejicerent, in haereticorum numero habiti sunt.

3. Hoc primo igitur epistolae argumento ad eam sententiam adducimur, ut credamus, epistolam datam esse ad gentiles genere Christianos, neque vero ad judaicos Christianos.

§. 59. 1. Nec minus altera epistolae parte ad eandem sententiam deducimur. In qua parte doctrina de pontificatu Messiae explicatur, et

talis quidem qualis in judaicis scriptoribus non invenitur. Sola de redemtione doctrina, cui scriptor suam de pontificatu Messiae superstruxit, vere est judaica.

2. Tota vero haec sagaciter composita doctrina de sacerdotio Messiae scriptori propria est. Etiam Judaei quidem morte Messiae (filii Josephi) e potestate Diaboli se redemtum atque expiatum iri credunt, sed Messiam non vere sacerdotis et pontificis munere fungi faciunt. Etiam Judaei per Messiam novum pactum (foedus) ictum novamque legem datum iri docent, sed id demum in regno Messiano post resurrectionem fieri statuunt. Ex his duabus judaicis sententiis proficiscens scriptor prorsus novam quandam doctrinam composuit. Mortem Messiae pro populo obitam ex similitudine quadam comparans cum sacrificio hostiae expiatoriae die expiationis per pontificem perficiendo, Messiam verum facit sacerdotem ac pontificem.

3. Ex hac sententia omnis disputatio manat. Nam si Messias verus est pontifex, veri sacri coelestis sacerdos sit necesse est, quod sacerdotium Judaei Michaeli angelo tribuere solent (cf. §. 11, 1, annot. 1.). Quum tamen Messias non sit generis sacerdotalis e tribu Levi, sed generis regii e tribu Juda, exemplum investigandum erat, aliquem non e genere sacerdotali ortum, sacerdotis munere functum esse, neque ullum melius inveniri poterat, quam Melchisedechus. Quaprop-

ter Messias in comparatione conjungitur cum Melchisedecho, isque Messiae typus describitur, cujus rei exemplum in nullo judaico scriptore invenimus. Denique scriptor cum morte Messiae expiatoria etiam pactum (foedus) novum a Messia inter Deum et ejus populum faciendum conjungit, ipsa mortis perpessione id factum esse docens (v. c. 9, inprimis v. 12, 14, 15, 16 et c. 10, 1—18, conj. c. 10, 29; 13, 20; cf. Ephes. 2, 15.).

§. 60. 1. Haec nova doctrina de Messiae pontificatu deque novo pacto per Messiae mortem icto, obiter quidem inspecta nihil habet, quod judaicae disciplinae repugnet, nihilo secius argumenta continet, quae Paulinam legis Mosaicae despicientiam redolent. Cujus generis ii sunt loci, qui legem appellant debilem et inefficacem ad perficiendum piaculis suis absolutam expiationem, eamque ideo commutatam et abrogatam esse docent.

2. Talis locus est v. 18, c. 7: Abrogatio pristinae legis (ἐντολῆς) sacerdotalis facta est ob ejus infirmitatem, nam ne universa quidem lex (νόμος) quidquam ad absolutionem [ad absolutam expiationem] adducere potuit. Similem locum invenies in c. 9, v. 8: Qua re docere nos voluit Spiritus sanctus tamdiu *nondum patere viam ad adytum, quamdiu tabernaculum anterius locum teneat;* anterius enim tabernaculum similitudo est *praesentis temporis, quod ad absolutionem adducere nequit;* atque in c. 10, v. 1: Lex quum um-

bram tantum contineat futurorum bonorum, neque vero ipsam rerum imaginem expressam, *sacrificiis piacularibus* quotannis oblatis *nunquam homines* Deum adeuntes *expiare potest.* Item in cap. 8, v. 13 ita scriptum est: Dicendo autem: *novum* [scilicet *pactum* faciam] Deus prius *obsoletum* declaravit, quod autem obsoletum est et consenuit, interitui propinquum est; et in c. 10, v. 8, 9 dicitur: Messias sacrificia in *lege* praescripta reprobans et suum ipsius corpus offerens, *prius illud* [pactum, i. e. legem] *tollit, ut posterius* [novum pactum oblato suo ipsius corpore i. e. sua morte confectum] *stabiliat.* Pariter scriptor in c. 9, v. 10 piacula et sacrificia veteris foederis [legis Mosaicae] non nisi usque ad tempus emendationis [per Messiam efficiendae] valere dicit, hisce usus verbis: sacrificia operantem quoad conscientiam absolvere non possunt, quia una cum ciborum et potionum usu, lotionibus et *aliis piaculis carnis tantum usque ad tempus emendationis injuncta sunt.*

3. Haec est doctrina de lege inefficaci et abrogata Paulo et ejus sectae propria, quae assensum Christianorum judaicorum nunquam obtinere potuit, immo ab iis ut impia respuebatur.

§. 61. 1. Quodsi igitur epistola eo consilio exarata est, ut ad Christianos judaicos daretur, tales doctrinae aut argumentis demonstrari et contra adversarios defendi debebant, id quod scriptoris in controversia versantis fuisset, aut omnino omit-

tenda erant, ne inutiliter lectores exacerbarentur, id quod scriptoris gratiam inter partes componentis fuisset. Nullo vero pacto scriptori tales sententias, quas a lectoribus nunquam probatum iri sciebat, ea ratione, qua in epistola fit, nullis argumentis munitas quasi in transcursu proferre licebat. Insuper scriptor postrema illarum sententiarum (c. 10, 1.) ut argumento utitur, in quo tota argumentatio innititur; at quomodo e re, quam a lectoribus reprobatum iri sciret, argumentationem deducere potuisset, quum tota argumentatio unâ cum re improbata corruere deberet?

2. Ex hac igitur ratione sententias illas proferendi iisque ad argumentandum utendi colligere licebit, scriptorem persuasum habuisse, lectoribus se uti, qui sententias, quas ipse veras crederet, et ipsi probarent, quod idem est ac si dicas: scriptorem epistolam suam dedisse ad homines a suis partibus stantes. Hi vero erant Christiani Paulinae doctrinae dediti, i. e. Christiani genere gentiles. Ergo hac quoque epistolae parte eo adducimur, ut epistolam ad Christianos gentiles genere, nec vero ad judaicos Christianos scriptam esse credamus.

§. 62. 1. Quid vero consilii scriptori ante oculos obversatum sit, quum in epistola gentilibus destinata hanc de Messiae pontificatu doctrinam exponeret, hocce modo mihi explicare tentavi. Notissimum est, libris sacris Judaeos praeter simpli-

cem verborum sensum, etiam tectiorem quendam atque altiorem tribuisse. Tantumque aberat, ut perceptis vulgaribus disciplinae judaicae doctrinis aliquis studium eos intelligendi absolvisset, ut totam vitam indagando altiori eorum sensui impendere posset. Quapropter altiores doctrinas et mysteria ex iis deducere altioris et doctrinae et pietatis putabatur, et magistro summae laudi erat; atque iis imbui homini rerum divinarum studioso et maximi momenti esse, et summam delectationem praebere debebat. Haec mente reputans scriptor sperare poterat, fore ut nova aliqua doctrina de Messia eaque singulari proposita et suae ipsius autoritati consuleret, et lectorum debilitatum rerum divinarum studium confirmaret, itaque litteras suas lectoribus redderet gratissimas. Ita haec epistolae pars minime aliena est ab alterius partis consilio refrigeratum lectorum erga Jehovam Deum et Jesum Messiam animum accendendi.

2. Itaque ambae epistolae partes uni eidemque consilio inservientes satis apte sunt conjunctae, totiusque epistolae argumentum et scriptoris consilio et lectorum conditioni optime accommodatum, id quod nostrae sententiae non parvae commendationi est.

CAPUT XIV.

§. 63. 1. In tota hac contra vulgarem opinionem argumentatione tacite concedimus, nullum adesse impedimentum, quominus inter ambas Christianorum partes litterarum commercium usu venire potuerit. Quae tamen sententia a veri similitudine abhorrere videtur, si partium mutuum contra se animum accuratius perpendimus.

2. Supra (§. 24 sqq.) jam exposuimus, quantae fuerint judaicis Christianis offensioni novae illae doctrinae de lege abrogata neque ad obtinendam regni Messiani civitatem necessaria, quas maxime impias habebant; quantumque odium in earum auctores conceperint. Nec minus vidimus, quanta industria his perniciosis erroribus, quos putabant, in coetibus a Paulo conditis occurrere studuerint, Paulo absente novis Christianis ut religionem judaicam prorsus susciperent persuadere omnibus modis connitentes. Quod odium Paulus non minori indignatione remuneratus est, ut non pauci ejus epistolarum loci demonstrant (cf. Gal. 1, 6—9; 2, 4; 5, 12; 2 Cor. 11, 12—15 etc.). Neque a veri similitudine abhorreat, etiam Pauli amicis Paulinaeque sectae magistris eundem attribuere animum. Cujus dissidii exitum Pauli captivitatem fuisse, notum est.

3. Flagrante hoc mutuo partium odio nullum inter eas fieri potuisse litterarum commercium ultro patet. Igitur Paulinae partis socius ad judaicos Christianos litteras dare non potuit, nisi aut nondum orto aut jam composito hoc dissidio.

4. Quo tempore dissidium illud nondum ortum erat, epistola scripta esse non potest, quia plura in ea indicia posterioris Apostolorum aetatis insunt (cf. Bleekii Einleitung in den Brief an die Hebräer, §. 93, p. 433; et de Wette Einleitung in das N. T., §. 164, p. 306.); illud vero dissidium jam priore Apostolica aetate ortum esse necesse est, quum ejus non obscura vestigia inveniantur in epistola Pauli ad Galatas anno fere 56 p. Chr. n. data. Quam ob rem plerique interpretum, qui Paulum auctorem epistolae esse putant, eam in Pauli captivitate, vel paulo post scriptam esse censent.

§. 64. 1. Sed judaicorum Christianorum contra Paulum ejusque doctrinam machinationes etiam inter Pauli captivitatem durasse e Pauli epistolis (cf. Col. 2, 4, 8, 16, 18, 20; Phil. 1, 15, 16.) hoc tempore scriptis apparet, unde simul eorum in Paulum iram non cessavisse patet.

2. Pauli vero in eos animum optime cognoscere possumus, si ipsum loquentem audimus. In epistola ad Philippenses ultimo captivitatis suae tempore scripta, Paulus prius conquestus (c. 1, v. 15, 16.) de Christianis judaicis evangelium in ipso praetorio ante ipsius oculos ad augendas

captivitatis suae angustias nuntiantibus, tum in hunc modum animum effundit (3, 1, 2, 17 etc.): Eadem vobis repetere mihi non molestum est, vobis vero confirmationi erit. Cavete a canibus illis, cavete a malis illis operariis, cavete a circumcisione ..... Imitatores mei este, fratres, et respicite eos, qui ita ambulant [i. e. talem vitam agunt], sicuti me exemplum habetis. Multi enim ambulant — de quibus saepenumero vobis locutus sum, nunc etiam lacrymans loquor, de inimicis illis crucis Messiae — quorum finis interitus, quorum Deus venter est [ob momentum circumcisioni attributum], quorum gloria in eorum dedecore [quum de circumcisione glorientur], qui terrena curant. Ex quo loco non obscure apparet odium illud, quod in epistola ad Galatas data ortum et in epistola ad Corinthios auctum vidimus, hoc tempore ad summam acerbitatem adductum esse.

§. 65. 1. Haec scripta sunt anno fere 63 p. Chr. n. Inde ab hoc anno usque ad Pauli mortem quae anno 67 vel 68 p. Chr. n. evenit, nulla quidem rerum a Paulo gestarum historia relicta est, neque quae ejus scripta ex hoc tempore originem ducant certo scimus, tamen hanc historiae lacunam e scriptis judaico-christianis resarcire possumus, ex quibus colligere licet, partium animum hoc tempore non resedisse. Non solum enim epistola Jacobi, et, quae unâ cum ea missa esse videtur, epistola Judae, illa ad Judaicos in gentilibus

coetibus commorantes, haec ad ipsos gentiles Christianos data, ad hoc tempus referendae videntur, quum in commendandis iisdem versentur doctrinis, a quibus Paulinae epistolae ad Colossenses et Philippenses dehortantur, scilicet doctrinis de observatione legis cum fide conjungenda, de sanctitate per abstinentiam et tenuem corporis cultum comparanda, deque angelis pie colendis (cf. §. 32.).

2. Sed alius quoque liber hoc tempore a socio partis judaicorum Christianorum scriptus est, qui praeter confirmationem spei Messianae id potissimum agit, ut partem gentilium Christianorum quam vehementissime impugnet. Qui liber evangelium est Matthaei, quod anno 67 p. Chr. n. ineunte bello judaico Hierosolymae editum esse videtur, qui liber infensissimi in Paulinam partem animi plenus est. Exempla quaedam proferam ad probandam hanc sententiam. Matthaeus vult Jesum vetuisse, ne ullis omnino gentilibus, sed solis Judaeis evangelium de regno Messiano nuntietur, v. 10, 5, 6 et 7, 6, quo posteriore loco scriptor Jesum gentiles canes porcosque nuncupantem facit; eandem duram sententiam iisdem asperis verbis enuntiatam in c. 15, v. 24 et 26 invenimus. Paulum ipsum Matthaeus infensissime perstringit, Jesum dicentem faciens (5,19.): eum, qui homines doceat vel minimum legis Mosaicae praeceptum abrogatum esse, minimum fore in regno Messiano, i. e. ex eo exclusum iri; qui manifesto nemo alius est,

nisi hujus doctrinae auctor Paulus. Pariter sub Pharisaeis illis et legis peritis terram mareque pervagantibus, ut proselytas faciant ac tum perversis ipsorum doctrinis perdant (23, 15.), nemo nisi Paulus subintelligi potest, qui et Pharisaeus et legis peritus fuit, solusque est, qui tum temporis non solum proselytas fecerit, sed simul etiam novis suis ac judaico Christiano abominandis doctrinis de lege abrogata solaque fide ad obtinendam regni Messiani civitatem sufficiente eos perdiderit, vel, ut scriptor ait, eos duplices geennae filios i. e. dupliciter damnandos reddiderit. Ac similis argumenti non pauci in hoc evangelio insunt loci, e quibus infensissimus judaicorum Christianorum in Paulinam partem animus apparet.

§. 66. 1. Ex hisce igitur judaico-christianae partis libris evidentissime patet, partium mutuum in se animum hoc quoque temporis spatio nondum consedisse, et quidquid interpretes sagacissime disputaverunt, ut persuaderent nobis animorum reconciliationem fieri potuisse, eam re vera factam non esse.

2. Quum vero in epistola nostra indicia insint, quae ostendant, eam ante excidium Hierosolymae scriptam esse (cf. 9, 8 sqq.), nullum omnino relictum est temporis spatium, quo partium animus ita consederit, ut a socio unius partis ad alteram epistola dari potuerit, atque ea quidem epistola, quae, quum non ad componendos animos spectet, lectoribus opus habeat amicis et be-

nevolis, ut apti sint ad institutionem atque admonitiones accipiendas. Ideo haec Paulini cujusdam magistri epistola non nisi ad suam ipsius partem i. e. ad gentiles Christianos data sit necesse est.

CAPUT XV.

§. 67. 1. Quum igitur vulgaris opinio, qua epistolam ad judaicos Christianos scriptam esse putant, idoneis scriptorum ecclesiasticorum testimoniis non confirmata argumentis prorsus falsis nitatur, quorum alterum desumtum est ex speciosa quidem sed erronea conjectura de facie epistolae, alterum ortum ex falsis notionibus de doctrinis ac discrimine primarum christianarum sectarum, et quum e contrario huic sententiae argumentum et consilium epistolae nec non mutuus christianarum partium in se animus plane repugnet, nihil relinquitur, nisi ut opinione vulgari deposita hanc sententiam amplectamur, ut arbitremur, epistolam a Paulo vel a Paulino quodam magistro ad mentem doctrinamque Pauli scriptam ad Christianos et ipsos Pauli doctrinae addictos i. e. gentiles genere Christianos datam esse.

2. Quae sententia, etiamsi in solis his totam epistolam spectantibus argumentis niteretur, tamen ob suum cum epistola concentum veritati propius accedere videretur, quam vulgaris illa opinio tot locis epistolae repugnans.

§. 68. 1. Verum forte fortuna locus epistolae adhuc neglectus sententiae nostrae certum ac firmum argumentum offert, eamque evidentissimam

reddit, quum vel in pristinum modum intellectus in judaicos Christianos minime quadret, accuratius vero explicatus nonnisi in gentiles Christianos cadat.

2. Is est locus (5, 12; 6, 1—3), in quo elementa doctrinae christianae tanguntur: «Quum deberetis magistri esse, ... rursum indigetis, ut doceamini, *quae sint prima elementa de effatis* [promissionibus] *Dei* [quum de iis ipsis dubitassent, spem regni Messiani deponentes]...... Sed *omissis elementis doctrinae* DE MESSIA, ad perfectiorem institutionem progrediamur, non iterum fundamentum jacientes *animo ab operibus mortuis revocando, fide in Deum, doctrina de lotionibus, impositione manuum, resurrectione mortuorum ac judicio futuro.*»

§. 69. 1. Tanguntur hic prima doctrinae christianae elementa, quibus lectores, priusquam in societatem Christianorum reciperentur, instruendi fuerant. Constabat igitur institutio eorum, qui in societatem Christianorum recipi volebant, in tradendis Dei effatis et promissionibus de regno Messiano; in nuntiando evangelio de Messia; in adhortatione, ut animum ab operibus mortuis revocarent, ac Jehovam Deum agnoscerent et colerent; tum in explicandis ritibus, quibus in Christianorum coetus recipiebantur; denique in exponenda doctrina de regno Messiano post resuscitatos mortuos et punitam Diaboli partem (hoc sibi vult judicium illud futurum) Dei cultores manente.

2. Quibus in rebus enarrandis versata sit expositio promissionum et effatorum Dei de regno Messiano, ultro patet. Hae sunt promissiones, quas Deus Abrahamo et patribus dedit, et per Moysen et prophetas Israelitis confirmavit (v. §.14, 1,2,3,4.).

3. Quid de Messia docendum fuerit, ex iis quae supra de doctrinis Christianorum propriis disseruimus, facile conjici potest, laetus nimirum nuntius: promissiones patribus datas ex parte jam expletas esse per primum Messiae adventum; eum enim in persona Jesu Nazarethani primum in terram venisse ad perficiendam morte sua populi Dei redemtionem, eaque perfunctum a mortuis resurrexisse, nec non eundem brevi iterum venturum esse ad liberandum populum suum et condendum regnum Messianum.

4. Quid sibi velint verba „ab operibus mortuis animum revocare", interpretes non satis intellexerunt, et vulgo in universum de emendatione morum explicant.

5. Quid sit credere in Deum ultro patet, nempe Jehovam Deum agnoscere et colere.

6. Sub doctrina de lotionibus intelligenda est explicatio ritus baptismatis, quod e numero lotionum lustralium est, quarum varia erant genera, quibus res et homines impuri puri reddebantur. Ita mulieres menstruis impurae factae ejusmodi lavacro vel immersione ex legis Mosaicae praeceptis instituta purae reddebantur. Pari modo is, qui circumcidebatur, sive antea gentilis fuerat,

sive Judaei filius, post circumcisionem tali immersione abluebatur, quia usque dum circumcideretur praeputio pollutus erat, atque ideo purus reddi debebat. Hunc ritum observantes Paulus aliique magistri ab ejus partibus stantes, eos gentiles, quos in numerum purorum proselytarum inquilinorum recipiebant, etsi non circumcidendos, tamen ejusmodi immersione purificandos censebant, quia gentiles impuri habebantur.

7. De ritu baptizatis manus imponendi explicandum erat, eum fieri ad communicandum spiritum divinum. Quum enim secundum illud Joeli vaticinium (2, 31.) omnes regni Messiani socii spiritu divino impleri deberent, spiritus sanctus novis Christianis post immersionem factam a senioribus coetus, spiritu sancto jam repletis, impositis manibus impertiebatur.

8. Quae de resurrectione mortuorum et de judicio extremo dicenda fuerint, notum est.

§. 70. 1. Hae igitur sunt doctrinae, quibus lectores epistolae instituti erant, priusquam in Christianorum numerum reciperentur. Jam accuratius consideremus, num ii, qui his doctrinis erant instituendi, Judaei esse potuerint. Num Judaeo opus erat expositione effatorum et promissionum Dei de regno Messiano, quibus a puero imbutus erat, et quae ei perpetua sacrorum librorum in synagogis praelectione penitus in memoria insidebant? Num Judaeus, ut in Deum crederet, admonendus erat, si in Christianorum so-

cietatem assumi vellet? Non in alium Christiani credebant Deum ac Judaei, neque unquam Christiani Judaeos in falsum Deum credere contenderunt. Num Judaeo explicandi erant ritus immersionis et manuum imponendarum, quum a puero omnis generis lavationibus lustralibus uteretur, neque ullus Judaeus esset, quin institutione et communis vitae usu uniuscujusque ritus sacri vim et significationem nosset, quum harum rerum scientia ad eos ritus religiose exercendos opus erat. An unquam fuisse credis Judaeum, cui non jam a teneris doctrinae de resurrectione et judicio futuro atque omnia de regno Messiano dogmata penitus nota ac trita essent, et cui institutione harum rerum opus esset? Haec omnia a veri similitudine quam maxime abhorrent, et quo magis ea animo perpenderis, eo magis dubitatio tibi movebitur, num ii, quibus tali institutione opus erat, Judaei esse potuerint, quin persuasissimum tibi erit, eos non fuisse Judaeos.

2. Quam convenienter autem illa omnia in gentilem cadunt, qui in numerum Christianorum adscisci volebat! Ejus generis homini institutio disciplinae judaicae vel a primis elementis, quae etiam puero judaico trita erant, utique necessaria erat, nam praeter vagum rumorem, qui tum temporis totum percrebuerat orientem de condendo quodam magno Judaeorum imperio, ei haud facile quidquam horum omnium notum esse poterat. Quid quod sic demum quum univer-

sum institutionis consilium perspicimus, tum quam apto ordine singula praecepta se excipiant. Nam si is, qui in Christianorum numerum recipiebatur, gentilis erat, rectissime institutio ab expositione promissionum et effatorum Dei de regno Messiano incipiebat, quia in iis tota de regno Messiano spes posita erat. Tum demonstrandum erat, quomodo hae de Messia promissiones jam ex parte per primum Messiae adventum in persona Jesu factum expletae essent, et hinc persuasio de regno Messiano mox eventuro confirmata. Tum si hujus felicitatis cupidum se ostendebat, admonendus erat, ut in verum Deum Jehovam crederet atque idolorum cultum relinqueret. Priusquam deinde inter Christianos ascisceretur, ritus initiationis, baptismus et impositio manuum, explicandi ei erant, ac denique aevi futuri res et eventus, qui in exspectatione erant, exponi debebant.

§. 71. 1. Itaque jam universa loci ratio contra vulgarem de lectoribus epistolae opinionem repugnat. Quid? si quaedam loci verba accuratius explicata aperta demonstrent, scriptorem de gentilibus Christianis agere? Quod fit vera verborum τῶν νεκρῶν ἔργων explicatione. Quae verba non universe sonant mala, perniciosa opera, mortem afferentia, sed proprie *opera ethnica, gentilibus peculiaria*, i. e. *cultum idolorum*. Namque, ut scriptum est in Medrasch Jalkut Schimoni, Tom. II, fol. 43, col. 4:

i. e. אומות העולם מתים, וכמו הם יהיו עושיהם. Gentes mundi sunt *mortuae et sicut ipsae sunt earum opera* [i. e. MORTUA].

2. Hic communis est Judaeorum loquendi usus, qui in innumeris librorum rabbinicorum locis invenitur, et multarum N. T. sententiarum verum sensum explanat. Ad quem loquendi usum prorsus intelligendum haecce disserere satis erit.

§. 72. 1. Jehovam in veteris testamenti libris *Deum vivum* nuncupari notissimum est. Quo Dei vivi nomine Judaei ideo utebantur, ut Jehovam comparatum cum gentium idolis vitam non habentibus, quippe quae „oculis non videre, auribus non audire" possent, unicum ac vere exstantem Deum declararent. Qua eadem ex causa in posterioribus V. T. libris gentium Deos *mortuorum* nomine appellatos reperimus, v. Ps. 106, 28; Sap. 13, 17, 18; 15, 5, 15, 17.

2. Qui loquendi mos apud posteriores Judaeos adeo viguit, ut illa *vivorum* et *mortuorum* nomina a Jehova et idolis etiam ad eorum cultores transferrent, itaque totam *Dei* partem *vivam*, totamque idolorum vel potius *Diaboli* partem (cf. §. 11, 3, annot. 11, ubi idola malos angelos esse vidimus) *mortuam* nuncuparent, non paucos sacrorum librorum locos in hunc dicendi modum interpretantes.

3. Conducet plura hujus loquendi usus exempla e variis libris rabbinicis proferre, quia Viris doctis hic usus prorsus ignotus esse videtur. Cf.

Medrasch Jalkut Schimoni, Tom. I, par. Vaethchanan, fol. 264, col. 1:

מי שנדבק לעבודת אלילים הרי הוא כמותה תשמד עמה, מי שנדבק לחיו של עולם עאכ״ו הוי ואתם הדבקים...... אתם ישר שנדבקתם לאל שכולו חיים, שנאמר: ויי׳ אלהים אמת, והדבקתם לתורה על אכ״ו שינצלו מן האש של גיהנם ותהי חיים וקיימים לעולם הבא·

i. e. Qui adhaeret cultui idolorum, *ecce is est sicut ipsa*, et *perditum ibit cum iis* [i.e. *mortuus est nec resurget*, cf. infra]; qui vero adhaeret vitae mundorum [i. e. Jehovae], quanto magis de eo dici potest: Vos qui adhaeretis Jehovae domino vestro, *vivi estis omnes* (5 Mos. 4, 4.)....... Vos Israelitae, qui adhaeretis Deo, qui totus est vita, ut dictum est: Jehova Elohim est veritas et *Dominus vivus* (Jer. 10, 10.), et qui adhaeretis legi, quanto magis vos eripiemini ex igne geennae, et fietis *vivi*, et eritis superstites in mundo futuro.

Idem Medrasch Jalkut Schimoni, Tom. II, fol. 43, 4 (ad Jes. 8, 19: Num populus Deum suum quaerere debet? an mortuos pro vivis?):

למה לכם להניח חי העולמים, שנאמר: יי׳ אלהים אמת· עלינו כתוב: ואתם הדבקים ביי׳ אלהיכם וגו׳, אנן חיים לפיכך נדרוש באלהים חיים, אבל אומות העולם מתים, כמו הם יהיו עושיהם·

i. e. Quare relinquitis vitam mundorum [Jehovam], quomodo dictum est: Jehova est veritas et *Dominus vivus* (Jerem. 10, 10.). Et de vobis scriptum

est: Vos, qui adhaeretis Jehovae domino vestro, *vivi estis omnes* (5Mos. 4, 4.). Verum gentes mundi *mortuae* sunt, et *sicut eae sunt earum opera.*

Et Medrasch Tanchuma, par. Emor, fol. 163, pag. 1 (de idololatria agitur):

למה לנו להניח חי העולמים, ויי׳ אלהים אמת הוא אלהים חיים ומלך עולם, ונדרוש אל המתים פה להם ולא ידברו, עינים להם ולא יראו. אנו כתיב בנו: ואתם הדבקים ביי׳ אלהיכם חיים כלכם היום, לפיכך נדרוש באלהים חיים. אבל אלהות של עכו״ם כמוהם יהיו עושיהם. i. e. Quare nos relinquimus vitam mundorum, et Jehova Elohim est veritas, is est *Deus vivus* et rex mundi; et quaerimus *mortuos*, qui os habent neque loquuntur, et oculos habent neque vident (Ps. 115, 5.)? Ac de nobis dictum est: Vos, qui adhaeretis Jehovae domino vestro, *vivi estis* omnes hodie (5 Mos. 4, 4.): ideo etiam *Deum vivum* quaeramus. Sed quoad *idola* idololatrarum, sicut hi sunt [i. e. mortui, v. supra], ita sunt eorum opera [i. e. itidem idola eorumque cultus mortua sunt].

Item Talmud, tract. Berachoth, sect. 3. (Ajin Jaakof, Tom. I, fol. 26, col. 3.):

כי החיים יודעים שימותו. אלו צדיקים שבמיתתן קרויים חיים, שנאמר: ובניהו בן יהוידע בן איש חי וגו׳...... בן איש חי — אטו כולי עלמא בני מתי נינהו. אלא בן איש חי שאפילו במיתתו קרוי חי ...... והמתים אינם יודעים מאומה, אלו רשעים שבחייהם קרויים מתים, שנאמר: ואתה חלל רשע.

i. e. Vivi sciunt, se morituros esse (Eccl. 9, 5.); ii sunt *justi*, qui vel post mortem nominantur *vivi*, ut dictum est (2 Sam. 23, 20.): Benajahu filius Jehojadae *filius hominis vivi* ..... Quid sibi volunt verba: *filius hominis vivi?* Num quid putas totum mundum filios mortuorum esse? minime quidem, sed filius hominis vivi is est, qui *adeo in sua morte nominatur vivus* [i. e. Israelita, ut infra videbimus]. Ita quoque verbis: „Mortui nihil sciunt", (Eccles. 9, 5.) significantur *impii*, qui vel in vita nominantur *mortui*, ut dictum est (Ezech. 21, 25.): Tu mortue impie! etc.

Item Sohar, Tom. III, par. Achremoth, fol. 71, pag. 2 (super loco Jesaiae 8, 19):

דורש אל המתים, אל המתים דייקא, דאינון חייבי עלמא, דאינון מעמין עובדי עבודה זרה דאשתכחו תדיר מתים, אבל ישראל דאינון זכאי קשוט שלמה קרא עלייהו ושבח אני את המתים שכבר מתו, בזמנא אחרא ולא השתא, שכבר מתו והשתא אינון חיין.

i. e. Quaerunt apud mortuos, i. e. apud *vere mortuos*, qui sunt *impii* [scelerati] *mundi* [pars Diaboli, v. §. 11, 3, annot. 10.], qui sunt e *gentibus idololatris*, quas *semper mortuas esse invenis; sed Israel*, qui sunt *vere pii, de iis* dicit Salomo (Eccles. 4, 2.): Laudavi mortuos, qui jam dudum mortui sunt; i. e. tempore priore, sed non amplius in praesentia; jam dudum mortui sunt, *sed nunc vivi sunt.*

4. Ex hoc loquendi modo explicandum est,

quod in pluribus paraphraseos Chaldaicae locis (Jesai. 53, 8; Jerem. 11, 19; Ezech. 26, 20) verba ארץ חיים, *terra vivorum*, verbis ארעא דישראל, *terra Israel*, redduntur; neque amplius absonum quiddam et peregrinum sonabit regula illa omni scriptorum rabbinicorum sermoni communis, quam Jarchi in commentario ad Ps. 88, 11 ita enuntiat: רשעים אף בחייהם קרויין מתים i. e. *Impii* [pars Diaboli, gentiles] etiam in vita *mortui* nominantur.

§. 73. 1. Non difficile est conjicere, causam, ob quam haec nomina a Jehova et idolis ad eorum cultores translata sint, in doctrina quadam judaica positam esse. Atque ita res se habet.

2. Jam supra vidimus, Judaeis persuasum fuisse, nonnisi cultores Jehovae post mortem vivere pergere; animis in paradiso commorantibus, dum die resurrectionis cum corporibus redivivis denuo conjungantur; eos autem, qui a Diaboli parte stant, post mortem prorsus deleri, animis geennae igne combustis neque corporibus unquam resurrecturis. Ita jure se ipsos solos vere vivere existimabant, gentes vero in exiguum terrestris vitae spatium inclusas ac tum in aeternum deletas vera vita omnino carere. Quam ob causam *se ipsos vivos*, *gentes* vero *mortuas* nuncupant. Cf. Jalkut Schimoni, Tom. II, Thehillim, fol. 125, col. 4 (ad explicandum v. 9, Ps. 116: Ambulabo coram Domino in terris vivorum):

ארצות החיים זו ארץ ישראל· עשרה דברים נקראו

חיים: הקב״ה, שנאמר: הוא אלהים חיים· תורה, שנ׳ עץ חיים היא למחזיקים בה· ישראל, שנ׳ ואתם הדבקים וגו׳· חכמים נקראו חיים, שנ׳ תורת חכם מקור חיים· צדיקים נקראו חיים, שנ׳ פרי צדיק עץ חיים· גן עדן נקרא חיים, שנ׳ ועץ החיים בתוך הגן· ארץ ישראל נקראת חיים, שנ׳ ונתתי צבי בארץ החיים· ירושלם נקראת חיים, שנ׳ אתהלך לפני ה׳ בארצות החיים· גמילות חסדים נקראת חיים, שנ׳ כי טוב חסדך מחיים· וכי ארץ ישראל ארצות החיים היא, והלא בני אדם מתים בתוכה· אמר ריש לקיש בשם רבי אלעזר הקפר: מפני שמתיה חיים לימות המשיח· i.e. *Terrae vivorum* sunt *terra Israel.* Decem res nominantur *vivae: Sanctissimus*, ut dictum est (Jerem. 10, 10.): Is est Dominus vivus; *lex*, ut dictum est (Prov. 3, 18): Arbor vitae est iis, qui ei adhaerent; *Israel*, ut dictum est (5 Mos. 4, 4.): Vos, qui adhaeretis Jehovae domino vestro, vivi estis omnes; *sapientes* nominantur vivi, ut dictum est (Prov. 13, 14.): Doctrina sapientis fons est vitae; *justi* nominantur vivi, ut dictum est (Prov. 11, 30.): Fructus justi est arbor vitae; *paradisus* nominatur vita, ut dictum est (Genes. 2, 9.): Arbor vitae in medio paradiso; *terra Israel* nominatur viva, ut dictum est (Ezech. 26, 20.): Dedi splendorem terrae vitae; *Hierosolyma* nominatur viva, ut dictum est (Ps. 116, 9.): Ambulabo coram Domino in terris vitae. *Beneficia* nominantur vita, ut dictum est (Ps. 63, 4.): Beneficium tuum melius est, quam vita. At estne

terra Israel terra vitae? homines tamen in ea moriuntur? Dixit Resch Lakisch in nomine R. Eliesar hakapar: *ideo* [viva nominatur], *quia mortui ejus redduntur vivi in diebus Messiae.* Quam eandem sententiam invenire potes in Jalkut Schimoni, Tom. II, fol. 130, col. 1; Othioth R. Akiba, fol. 10, pag. 1.

Cf. etiam R. Kimchi commentarium in Hesek. 26, 20 (ad verba: Ac dedi splendorem terrae vivorum):

אמר על ארץ ישראל שהיא ארץ חיים, ורבותינו ז"ל דרשו: ארץ שמתיה חיים, כלו שהמתים בה מישראל יחיו לזמן תחיית המתים. i. e. Dicit scriptor de terra Israel eam esse terram *vivorum*, id quod magistri interpretati sunt: terra cujus mortui vivi fiunt, i. e. ii, qui e populo Israel in ea moriuntur, fiunt vivi tempore resurrectionis.

3. Ac de gentilibus ita scribit Kimchi in commentario in Jes. 26, 14 (explicans verba: Mortui non vivi fiunt):

מתים בל יחיו וגו׳ אלה העמים,.....הם מתים ואין בהם ממש, ופירו לא יחיו: אין בהם חיות, והם כמו המתים, שלא יקומו. i. e. Mortui non vivi fiunt etc.: ii sunt *gentes*, quae *mortuae* sunt, et in quibus nihil inest substantiale; verba „non vivi fiunt" id sibi volunt: nulla iis vita inest, et sunt sicut mortui, *quia non resurgent* [die resurrectionis, etenim supra jam vidimus, §. 16, 2, annot. 62, gentiles non resurrecturos esse].

Quae eadem sententia reperitur in Jalkut Schimoni, Tom. II, fol. 72, col. 2, ad explicanda Ezechielis verba (Ezech. 26, 21.): In nihilum redigam te et non eris; requireris et non invenieris in aeternum [de populo urbis Tyri loquitur propheta]:

מדבר באומות העולם, אומות העולם לא היו ואינם
עתידים להיות...... ותבקשי לעולם הבא ולא
תמצאו עד לעולם. אבל ישראל היו עתידים להיות.

i. e. Hoc dicitur de gentibus mundi; gentes mundi *non sunt, neque futuro tempore erunt;* ac *requirentur in mundo futuro, neque invenientur* in aeternum. At Israel est, et futuro tempore erit.

Vel ut dicit auctor libri Emek hammelech, Schaar olam hattohu, fol. 23, col. 4.

הרשעים בחייהם קרויים מתים כי אין להם נשמה
קדושה מן היסוד הנקרא חי העולמים, בתרין
עולמים בעולם הזה ובעולם הבא, רק יש להם
נפש מן הקליפה הנקראת מות וצל מות, ועל ידי
אותם הניצוצות הם חיים.

i. e. Impii vel in ipsorum vita *mortui* nominantur, quia iis non est *anima sancta* a fundamento illo, quod nominatur vivus mundorum [Dan. 12, 7, i. e. Jehova], vivens in *duobus mundis*, in mundo hoc, et in mundo futuro [i. e. anima, quae post mortem etiam in mundo futuro vivere pergat, ut Deus, anima immortalis], sed solummodo eis est *spiritus* a putamine [Diabolo, cf. annot. 35.], quod nominatur *mors* [cf. annot. 6.] et umbra mortis [parimodo umbrae de malis angelis explicantur, cf. annot. 96.], ac per

scintillas ejus vivunt [nihil igitur nisi spiritus vitalis, qualis etiam pecoribus inest, qui una cum corpore extinguitur (cf. annot. 19.), spiritus mortalis, gentilibus inest].

Non iniuria igitur auctor libri Zeror hammor, fol. 129, col. 4, par. Elle haddebarim, vitam gentilium pro nulla putandam esse dicit:

אחר שהרשעים בחייהם קרויים מתים אין חייהם חיים. אף ע״פ שיחיו אלף שנים פעמים, ולכן כל חייהם אינם חשובים כשנה אחת׃

i. e. Impii quum in vita nominentur *mortui*, vita eorum vita non est, aç si bis mille annos viverent; ideoque omnis vita eorum non pro uno anno putanda est.

§. 74. Ex his locis prolatis apparet, verba vivorum et mortuorum prorsus synonyma esse verbis piorum (justorum) et impiorum (v. §. 11, 3, annot. 9.). Utraque sonant cultores Jehovae et cultores Diaboli i. e. idolorum, sociòs illarum duarum partium hostiliter sibi oppositarum, partis Dei et partis Diaboli. Et quum Israelitae potissimi essent Jehovae cultores, ac gentiles, quippe qui idololatrae essent, a Judaeis potissimi Diaboli socii et cultores haberentur, utraque verba prorsus idem sonant atque nomina *Israelitarum* et *gentilium*. Quae istorum verborum significatio multo usitatior est, quam generalis illa, e qua verba justorum et vivorum in universum pios et bonos homines, ac verba impiorum et mortuorum scelerosos et malos homines, ergo etiam malos Israelitas significant.

§. 75. Jam hunc eundem dicendi modum etiam in N. T. libris reperimus.

1. Etiam in libris N. T. Jehovam idolis (Gal. 4, 8: τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς) oppositum Deum *vivum* nominari, non est quod locis citandis comprobemus. Eo magis necesse erit, locos quibus ille, de quo agimus, usus verborum vivorum et mortuorum (νεκρῶν καὶ ζωῶν) inest, accuratius exponere.

2. Primo afferam locum, ex quo apparet in libris N. T. *gentiles mortuos* nominari. Scribit Paulus ad Colossenses, qui gentiles genere erant, atque igitur antea idololatrae fuerant (2, 13.): Vos, qui *mortui* eratis per delicta et *praeputium* carnis vestrae, vivificavit Deus. Igitur Colossenses, priusquam Christiani facti essent, mortui erant, quia praeputio utebantur, i. e. Non-Judaei, gentiles erant, ideo a partibus Diaboli stabant. Hoc loco probatur, Paulo illum dicendi modum notum fuisse.

3. In epistola ad Ephesios eadem illa sententia bis invenitur (2, 1, 5.), atque etsi verba «ἐν τῇ ἀκροβυστίᾳ» ibi desunt, sensus tamen non mutatus est. Quae repetitio illius sententiae indicare videtur, hunc dicendi modum Paulo etiam usitatum fuisse.

4. Jam licebit locum citare, ubi verbo νεκρῶν gentiles significari e conjunctione sententiarum apparet. Locus est in epistola ad Ephesios (5, 14). Paullo ante (v. 6, 7, 8, 11) Apostolus eos adhorta-

tus erat, ut a gentilibus se separantes non amplius eorum vitiis affines essent, ac denique adhortationem terminat hisce verbis: Surge, qui dormis, et exsurge a *mortuis*, et illuminabit te Christus. Quae sententia, si nescimus, quid mortui sibi velint, absonum quiddam sonat, nec ab interpretibus commode explicatur. Verum si scimus, verbo *mortuorum gentiles* indicari, de quibus scriptor antea perpetuo egerat, prorsus plana exsistit sententia atque ad intelligendum aperta.

5. Ut vero omnis tollatur dubitatio de hujus explicationis veritate, relego dubitantes ad c. 6, v. 13 epistolae ad Romanos, ubi verba: praebete vos Deo tanquam *vivi* ex *mortuis*, nullum alium admittunt sensum, atque hunc: Praebete vos Deo *justos* ac pios ipsius cultores e numero *gentilium idololatrarum*. Ex hoc postremo loco apparet, Paulo etiam verbi *vivi* usum, e quo idem ac verbum *justi* scilicet pium cultorem Jehovae significat, notum fuisse.

§. 76. 1. Haec verborum *vivi* et *mortui* vis evidentissime comprobatur loco, qui adhuc crux erat interpretum, ac mirum in modum interpretando vexabatur, quum secundum hunc dicendi modum explicatus illustrem et clarum praebeat sensum. Is locus est in epistola Petri priore (c. 4, v. 6.). Antea admonuerat Petrus, ne amplius gentilium more viverent, vitam non ad popularium voluntatem, sed ad Dei praecepta dirigentes, atque ita admonitionem claudit: Illi (gentiles) offen-

duntur, quod vos (Christiani e gentilibus) non amplius cum iis in vitam dissolutam vos immergitis, atque ideo vobis conviciantur. Cujus rei rationem reddent ei, qui paratus est ad judicandos „*vivos*" et „*mortuos*". Propterea enim etiam „*mortuis*" evangelium nuntiatum est, ut (mortui scilicet) ab hominibus quidem in corporibus condemnarentur, a Deo vero per spiritum *vivi* redderentur.

2. Si sub vocabulo *mortuorum* vere mortuos subintelligis, nulla omnino exsistit sententiarum inter se conjunctio, etenim quum in praecedentibus de gentilibus ageretur, perspici non potest, quo pacto scriptor subito de mortuis agat. An forte reperiet quisquam nexum inter has duas sententias: Reddent gentiles rationem de conviciis vobis illatis Deo judici omnium; *ideo enim* mortuis evangelium nuntiatum est, *ut* a Deo per spiritum *vivi redderentur?* Particula *enim* indicante causam et rationem praecedentis sententiae, haec posterior enuntiatio causam et rationem prioris afferre deberet, quod fieri nemini in mentem veniet contendere. Interpretes quidem ne sententia prorsus insana videretur, eam ad locum capitis prioris referunt, ubi legitur Messiam mortuorum animis in Scheol coercitis evangelium nuntiasse, sed nexum harum duarum sententiatiarum indicare artificiosissimis explicationibus frustra desudarunt.

3. Contra prorsus plana ac praecedentibus

arctissime conjuncta exsistit sententia, si verba mortuorum et vivorum ad eum dicendi modum, quem supra exposuimus, interpretamur: «Con«viciorum rationem reddent ei, qui paratus est «ad judicandos *vos* et *ipsos* (*vos*, qui a Jehovae «partibus stantes eumque colentes, aeque atque «Israelitae *justi* estis et *vivi*, vel, ut Paulus dice«ret, qui et ipsi estis Abrahami filii; *ipsos*, gentiles «idololatras, qui a Diaboli partibus stantes et idola «colentes *impii* sunt et *mortui*, vitae futurae «partem non habentes). Etenim propterea etiam «*gentilibus* (ii enim *mortuorum* nomine signifi«cantur) evangelium nuntiatum est, ut et *ipsi* «(gentiles, qui dum a Diaboli partibus stant a vita «futura exclusi sunt, aeternae morti animae ob«noxii, jureque *mortui* nuncupantur); *etsi ab* «*hominibus* (a popularibus gentilibus) *condem*«*nantur* (κριθῶσι, i.e. conviciis corripiuntur, ut «vos) tamen a Deo per impertitum spiritum sanc«tum (v. supra §. 69, 7.) *vivi* (i.e. partis divinae «socii, vitae futurae participes) redderentur.»

4. Ita sententiae aptissime inter se cohaerent, atque id spectant, ut demonstrent, quam facile lectores conviciis popularium supersedere possint. — Hoc postremo loco vel maxime incredulo probasse spero, verba vivorum et mortuorum in N.T. libris aeque atque in rabbinicis ad significandos Dei ac Diaboli cultores usurpari.

§. 77. 1. Duo adhuc restant loci, qui quum verbi mortuorum vis jam demonstrata sit, nullam

movebunt difficultatem. Unus inest parabolae de filio perdito (Luc. 15, 24 et 32.), ubi de filio perdito bis reperimus usurpatam sententiam: *mortuus fuit et revixit.* Quum Lucas evangelium suum scripserit contra Matthaei evangelium, *qui* gentilibus regni Messiani societatem negat, ad propugnandum pro Paulina doctrina, qua iis regni Messiani civitas promittitur, quum praesertim haec parabola, quae Lucae est peculiaris neque in evangelio Matthaei invenitur, hanc doctrinam spectet, in persona filii natu majoris et justi (v. 29.) propter benigniter exceptum fratrem, irascentis judaicos Christianos, et in persona filii perditi sed cum poenitentia ad patrem revertentis gentiles Christianos, qui antea idololatrae fuerant sed ad Jehovam colendum se converterant, depingens, nulla omnino remanere potest dubitatio, qua ratione verbum «*mortui in vitam reversi*» explicari debeat.

2. Alter locus invenitur in evangelio Matthaei (8, 22.). Est dictum illud, quod scriptor Jesum discipulo patrem sepelire volenti respondere facit: Sine mortuos mortuos sepelire. Non difficile erit hujus dicti sensum intelligere, etsi verbum mortuorum ibi de Judaeis usurpatur. Animus hostililis, qui libro contra omnes inest, qui non a partibus scriptoris stant, etiam in Judaeos, Jesum Messiam non agnoscentes, et imprimis in primores civitatis, in divites, legis peritos et Pharisaeos erumpit. Non igitur est mirandum, eos hoc loco

mortuos nominari, i. e. a Diaboli partibus stantes, atque a vita futura exclusos, quum et in aliis locis scriptor eos gravissime perstringat, nec non Israelitae ex omnium Christianorum persuasione reprobando Jesu Messia a *vita futura* in regno Messiano *exclusi* essent, ideoque summo jure *mortui* nominari possent.

§. 78. 1. Hic dicendi modus, non solum illis quos laudavimus locis novam affert lucem, sed etiam non paucis vocibus et sententiis, quas praecipue in libris ad gentiles datis reperimus, veram et dilucidam explicationem praebet.

2. Si verborum vivi et mortui vim cognitam habemus, jam egregie intelligimus, quid sibi velint N. T. scriptores gentilibus affirmantes, eos transitu ad partes Jehovae et Messiae vitam adeptos esse. Non enim solum metaphorice novam quandam vitam, in emendatis moribus versantem, sed ipsam veram animae vitam, vitam animae post mortem permanentem, immortalitatem, ex opinione scriptorum transitu ad Christianorum partes sibi comparaverunt. Si enim in gentilium numero in Diaboli parte remansissent, post mortem prorsus deleti essent, anima geennae flammis combusta, corporeque e corruptione nunquam vivo reddito. Christiani vero facti sperabant fore, ut post mortem in paradiso vivere pergerent, et quondam, anima cum corpore vivo reddito rursum conjuncta, vitam laetissimam et longissimam in regno Messiano denuo degerent.

Sententiae ex hac cogitatione proficiscentes paene innumerabiles sunt, cf. 1 Petr. 3, 7; 1 Joh. 3, 14; 5, 12, 13; 1 Tim. 6, 19; Tit. 3, 7; Rom. 6, 8; 8, 2.; Ev. Luc. 10, 28; Ev. Joh. 5, 21, 24; 6, 63; 11, 25; 14, 19; 2 Cor. 3, 6; etc. Paulus et Johannes talibus sententiis saepissime utuntur, quum utriusque scripta ad gentiles data sint.

§. 79. 1. Ita demonstrasse nobis videmur, verbum *mortui* e judaico loquendi more hominem a Diaboli partibus stantem i. e. cultorem idolorum, gentilem significare, nec non hunc dicendi usum etiam in N. T. libris inveniri. Jam revertamus ad illum locum epistolae nostrae, ad quem explicandum haec omnia disputavimus.

2. Hac nostra explicatione verborum *νεκρῶν ἔργων*, ex qua opera gentilia, *cultum idolorum* significant, totus locus ab omni obscuritate liberatur; singulae sententiae optime cohaerent, ac series doctrinarum necessitudinis quodam vinculo continetur. Jam hicce loci est sensus: «Quum debeatis ipsi doctores esse, ... ob desperationem «vestram de regno Messiano rursum indigetis, ut «doceamini prima doctrinae elementa de effatis «i. e. promissionibus Dei patribus nostris de regno «Messiano factis.... Sed omissis elementis doctri«nae de Messia, ad altiorem institutionem progre«diamur, neque iterum fundamentum jaciamus «doctrinis: *de abjicienda idololatria* ac contra Je«hovae cultu amplectendo, de baptismatis causa et «significatione, de vi impositionis manuum post

«peractum baptisma, denique de rebus et even-
«tibus instantis regni Messiani.»

§. 80. Simul alii loco hac verborum *νεκρῶν ἔργων* explicatione lumen affertur, ejusque verus sensus aperitur. Is est locus (9, 13, 14): Si sanguis hostiarum purgare potuit pollutos, «quanto magis sanguis Messiae purgabit conscientiam vestram ab *operibus mortuis* ad colendum *Deum vivum.* Nihil aliud sibi vult haec sententia, nisi lectores epistolae certiores reddere, mortem Messiae expiatoriam satis valere ad sanctos reddendos eorum animos *cultu idolorum pollutos*, ut digni sint, qui in numerum *cultorum Jehovae* excipiantur. Etenim nulla re magis quam cultu idolorum homo pollui credebatur.

§. 81. Quodsi igitur argumenta, quibus interpretationem nostram loci laudati et praecipue verborum *νεκρῶν ἔργων* confirmare studuimus, non prorsus sunt futilia, — nec talia esse videntur, — e brevi illa adumbratione doctrinarum, quae lectoribus, antequam in Christianorum numerum reciperentur, traditae erant, quum in universum tum praecipue ex illa de *μετανοίᾳ ἀπὸ νεκρῶν ἔργων* doctrina evidentissime apparet, lectores epistolae *gentiles* fuisse.

CAPUT XVI.

§. 82. Jam alii quoque epistolae loci sententiam nostram confirmant. In c. 3, v. 12. legitur adhortatio: Ne increduli estote neve *de Deo vivo deficite*, quae adhortatio nonnisi in gentiles Christianos cadit. Judaicus enim Christianus, etsi a Christianorum parte defecerat et judaicas opiniones rursus amplexus erat, tamen a Deo vivo i. e. a Jehova defecisse dici non poterat, quum Jehovae cultum aeque firmiter teneret is qui a Judaeorum, atque is qui a Christianorum partibus stabat. An credideris Christianum judaicum ad deserendam Christianorum partem propensum id animo agitasse, ut ad idolorum cultum se converteret? Quam vesanam opinionem quum nemo sit, qui proferat, nihil est, quod pluribus eam refellam. Gentilis vero Christianus per desperationem regni Messiani (quam tollere potissimum scriptori propositum est) deserens Christianorum partem, ad quam ob regni Messiani spem se contulerat, etiam cultum Jehovae deserebat et rursus ad pristinum idolorum cultum recidebat.

Neque enim fore existimo, qui credat, Christianum gentilem a Christianorum parte propter desperationem regni Messiani deficientem cir-

cumcisione subeunda Judaeum fieri voluisse; ut denuo regnum Messianum exspectaret. Igitur homo a Jehovae cultu deficiens nihil aliud agere poterat, nisi ad idolorum cultum se convertere; etenim lectores, rejecto Jehovae cultu, nullum omnino esse Deum censuisse, vix cuiquam in mentem venire potest, quum in talem dubitationem ejus generis homines, quales Christiani tum temporis fuerunt, incidisse a verisimilitudine prorsus abhorreat.

§. 83. 1. Non minus ex alio loco, quem c. 10, v. 32 invenimus, apparet lectores epistolae gentiles fuisse. Ita enim admonet lectores scriptor: «Memores este pristinorum dierum, quibus *illuminati* magnum certamen cum miseriis pertulistis.» Verbum φωτισθέντων non nisi de gentilibus usurpari potest. *Illuminari* enim solum is potest, qui in tenebris est, in quibus ex usitatissimo loquendi more *gentiles* versari dicebantur, Israelitis luce fruentibus. Qui loquendi mos aeque atque ille verborum vivi et mortui usus, innititur cogitationi de duobus Dei et Diaboli regnis sibi oppositis. Deus lux est, et in luce habitat perpetua, Diabolus angelus est tenebrarum, et in tenebrosum e coelo dejectus est tartarum. Dei cultores ideo dicuntur ambulare in luce, Diaboli contra cultores in tenebris. Hic dicendi modus et in libris rabbinicis et in N. T. scriptis saepissime occurrit.

Cf. Jalkut Schimeni, Tom. II, fol. 99, col. 4,

ubi ad explicanda verba: *Jehova est lux mea* (Ps. 27, v. 1.) haec disseruntur:

זהו שאמר הכתוב: והיה אור ישראל לאש. כנוהג שבעולם: אדם מדליק את הנר במבוי או בפלטין שלו שמא יכול לומר פלוני שהוא אוהבי ישתמש לאורו ופלוני שהוא שונאי אל ישתמש, אבל הקב"ה אינו כן אלא כי הוא ברא את האור והרשעים אינם רואין לאורו לעתיד לבא, שנ' אור לצדיקים ישמח ונר רשעים ידעך, וכן הוא אומר: וירא אלהים את האור כי טוב ויבדל אלהים, הבדילו לצדיקים לעתיד ...... וכן הוא אומר: אור זרוע לצדיק. אמר דוד: אל יי' ויאר לנו. אמר הקב"ה: חייך שאני מביא אור, וחשך לאומות העולם כי הנה החשך יכסה ארץ. אבל לישראל: ועליך יזרח ה'. ואם אתה תמה על הדבר, כבר הראה הקב"ה דוגמתו בעולם הזה, שנ' ויהי חשך אפלה וגו', ולכל בני ישראל היה אור במושבותם.

i. e. Id est, quod dicit scriptura (Jes. 10, 17.): Et est lumen Israël in igne. Usus quidem mundi hic est: Si homo accendit lucernam in conclavi vel in platea, dicere non potest: ille quidam, qui est amicus meus, fruatur luce, at ille alius, qui est inimicus, ne fruatur. Sed apud Sanctissimum res non ita se habet. Etenim creavit quidem lucem, sed impii non vident eam in mundo futuro; ut dictum est (Prov. 13, 9.): Lux justos laetificat; lucerna autem impiorum exstinguitur. Atque ita etiam dicit (Gen. 1, 4.): Et vidit Deus lucem, quod esset bona et reposuit lucem, reponendo eam piis in mundo futuro; ......

uti etiam dicit (Ps. 97, 11.): *Lux est sata pio.* David dicit (Ps. 118, 27.): *Deus Domine illuce nobis.* Et Sanctissimus dicit: *Per tuam vitam, afferam lucem* [Israelitis], *et tenebras gentibus mundi, quia ecce tenebrae operient terram et caligo populos* (Jes. 60, 2.). Sed de Israel dicit (ibidem): *Super te orietur Dominus.* Et si miraris de hac re, jam dudum demonstravit Sanctissimus imaginem ejus rei in hoc mundo, ut dictum est (Exod. 10, 22 et 23.): *Factae sunt tenebrae caliginis in universa terra Aegypti, apud omnes autem filios Israel lux erat in eorum habitationibus.*

Cf. etiam Sohar chadasch, par. Bereschith (Medrasch hanelam), fol. 16, col. 1:

ויבדל אלהים בין האור ובין החשך, בין אומתו שהוא האור ובין האומות שהם החשך, שנ׳ רשעים בחשך ידמו:

i. e. Fecit (Deus) discrimen inter lucem et inter tenebras; inter suum populum, qui est lux, et inter gentes, quae sunt tenebrae, ut dictum est: *impii tenebris delentur.*

2. Hic idem verbi tenebrarum usus etiam in N. T. libris invenitur (cf. Rom. 2, 19; Joh. 1, 5; Ephes. 5, 8; 6, 12; Col. 1, 13; 1 Thess. 5, 4; 5; 1 Petr. 2, 9; 1 Joh. 1, 6; 2, 9, 11.)

3. Igitur non nisi *versantes in tenebris gentiles* per evangelium de adventu Messiae deque redemtione omnium in eum credentium perfecta *illuminari* i. e. ad partem Dei in luce versantem adjungi proprie dici possunt (confer Luc. 1, 79; et 2, 32.), quum Israelitae, in luce jam versantes,

evangelio de Messiae adventu in lucem demum recipi non possent; ideo jure Lucas (2, 32.) dicit: Viderunt oculi mei ..... *lumen ad revelationem* (illuminationem) *gentium*, et ad *gloriam* populi tui Israel. Quae sententia confirmatur librorum N. T. usu loquendi. Etenim omnes loci librorum N. T. in quibus homines per Messiam, vel per evangelium de Messia, vel per Spiritum sanctum illuminari dicuntur, in scriptis ad gentiles datis reperiuntur, itaque de *gentilibus* agunt; v. Ephes. 1, 18; 3, 9; Joh. 1, 9; cf. Ephes. 5, 14.

4. Quum igitur etiam nostrae epistolae loci (c. 6, 4, et c. 10, 32.) de gentilibus interpretandi sint, ex hoc posteriore loco manifesto probatur, lectores epistolae gentiles fuisse.

§. 84. 1. Ad quos duos locos tertius accedit, quem unquam de judaicis Christianis explicari potuisse vix credas, si semel eum penitus perspexeris. Is est vexatissimus ille locus de cibis (13, 9.), cujus verba haec sunt: «Ne doctrinis «variis et novis vos abduci patiamini; decet enim «animum confirmare *gratia*, non vero *cibis*, per «quos, qui in iis versantur, nullam acceperunt «utilitatem.»

2. Patet, hic non de cibis in universum agi, namque perspici non potest, qua tandem ratione cibo potuque animus confirmari, i. e. interna animi tranquillitas et fiducia comparari possit. E contrario, quum ex eo quod scriptor dicit, illos, qui in iis versati essent, nullam inde acce-

pisse utilitatem, i. e. eos (ut Paulus ait 1 Cor. 8, 8.) cibis se Deo gratos non reddidisse, quum ex his, inquam, liceat colligere, quosdam fuisse, qui cibis vim homines Deo gratos reddendi tribuerent, cuivis locum accuratius perpendenti, *cibi puri more judaico parati* in mentem venient, nam nullos cibos nisi secundum quaedam legis Mosaicae praecepta delectos et rite paratos edere, haud parva erat pars sanctitatis illius ex observantia legis Mosaicae manantis, qua Judaei Dei gratiam mundique futuri civitatem se mereri credebant.

Scriptor in tali ciborum delectu versari rem nanem et inutilem esse dicit. Igitur a lectoribus discrimen ciborum observari non vult, immo Christianum decere ait *gratia*, i. e. conscientia divinae gratiae, animum suum confirmare, nec vero *cibis*, i. e. fiducia meriti ex observata lege cibaria; namque, ut scriptoris sententiam Pauli dicto confirmem (cf. Ephes. 2, 8 et 9.), ex gratia gentiles servantur per fidem, non vero propter opera, i. e. propter legis observationem.

Ergo novae illae doctrinae, a quibus dehortatur scriptor, huic suae doctrinae contrariae fuisse, ac lectores ad observandum discrimen ciborum admonuisse debent.

3. Itaque haecce hujus loci explicatio vera esse videtur: « *Ne doctrinis novis* atque doctrinae « prius vobis traditae, qua ciborum discrimen « contemnere didicistis, plane contrariis *vos* ad ob-

«servandas leges cibarias *adduci patiamini*. *Decet* «*enim* Christianum *animum confirmare* i. e. in«ternam animi tranquillitatem et fiduciam salu«tis capere *gratia*, i. e. conscientia divinae gra«tiae, per quam, ut ait Paulus (Rom. 3, 24.), «gratis justificati estis per redemtionem, quae est «in Christo, *neque vero cibis*, i. e. fiducia obser«vatae legis cibariae, namque, ut idem Paulus «dicit (Gal. 2, 16.), non justificatur homo ex ope«ribus *legis*, (quae oppositio gratiae et operum «legalium ex vera fit Paulina doctrina, confer «praeter locum supra laudatum ex ep. ad Ephes. «2, 8, 9: Rom. 11, 6; 2 Tim. 1, 9; Tit. 3, 5.). *Ii enim*, «*qui in his* legibus cibariis observandis *versati* «*sunt, ex iis nullam acceperunt utilitatem*, nam, ut «item Paulus scribit (1 Cor. 8, 8.) esca nos Deo non «commendat.» Ex quo loco videmus, lectores epistolae leges cibarias antea non observasse, aliter enim scriptor doctrinam de iis observandis *novam* nuncupare non posset.

4. Summa igitur totius loci haec est: jubet scriptor lectores epistolae leges de discrimine ciborum, quas antea non observarant, etiam in posterum non observare.

5. At ejus generis adhortatio nequaquam judaicos Christianos spectare potest, quum judaici Christiani totam legem Mosaicam severissime observaverint (Act. 21, 20.). Lectores epistolae igitur gentiles fuerint necesse est.

6. His expositis locus nulla omnino obscuri-

tate amplius laborat, quum jam ejus causa et consilium aperta sint. Lectores sunt coetus quidam Christianorum gentilium, quibus per absentiam magistrorum Paulinorum judaici Christiani ex Hierosolyma missi persuadebant, ut a Paulina parte deficerent et suscipienda legis Mosaicae observatione ad judaicorum Christianorum partem se applicarent. Cujus generis conatus gentilium Christianorum coetus a Paulina secta abalienandi a judaicis Christianis assidue factos esse, supra vidimus (§. 28.).

7. Itaque optime concinit epistola nostra cum Pauli quibusdam epistolis, quae simili modo contra judaicorum Christianorum conatus pugnant et inprimis doctrinam eorum de observando ciborum discrimine rejiciunt. Liceat locos illos hic apponere. In epistola prima ad Timoth. (4, 1 sqq.) ita contra judaicos illos Christianos scribit Paulus: Spiritus sanctus diserte dicit, postremis temporibus quosdam discessuros a fide [hos gentiles esse ad judaico-christianam partem transeuntes e sequentibus apparet] attendentes spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum per simulationem falsa loquentium, ... prohibentium nubere, et jubentium *abstinere a cibis, quos Deus creavit, ut iis fruantur cum gratiarum actione fideles* . . . . . quas ineptas et aniles fabulas devita.

Pari ratione Paulus ad Colossenses scribit (Colos. 2, 16, seqq.): Nemo vos *judicet propter cibum vel potum* vel propter aliquid, quod ad diem

festum, vel neomeniam, vel sabbatum pertinet, quae solum umbra sunt futurorum ..... Nemo decipiat vos, voluntarie versans [153] in humilitate mentis, et in cultu angelorum (cf. §. 32.) .... Quare igitur ..... vobis *praescribi* patimini: Ne *tange*, ne *gusta*, ne *contrecta?* quae omnia [cibaria, scilicet] secundum praecepta et doctrinas hominum illorum [quos judaicos Christianos fuisse e praecedentibus ultro patet,] usu [fructu *ἀποχρήσει*, i. e. si quis iis fruitur] perniciei [damnationi, aeternae morti] sunt, quod speciem sapientiae prae se fert per voluntaria pietatis exercitia, per humilitatem mentis et durum corporis cultum sine ulla ejus curatione ne ad satietatem quidem corporis.

8. Comparatis et perpensis his duobus locis nulla relicta erit dubitatio, utrum ille epistolae nostrae locus, qui de cibis agit, gentiles lectores an judaicos spectet; neque coactas, quas adhuc interpretes protulerunt istius loci explicationes, refellere necesse erit.

---

[153] Hunc verum esse sensum verbi θέλων sequens verbum ἐθελοθρησκείας probat, ex quo apparet, verbis θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ tribuendam esse vim, quasi scriptor dixisset ἐθελοταπεινόφρων. Hominis enim voluntario quodam angelorum cultu singularis pietatis gloriam sibi parare studentis est, etiam in exteriore corporis cultu voluntaria a lege non praecepta humilitatis signa prae se ferre, quia voluntaria talis humilitas et corporis castigatio meritum pietatis non paulum adaugere putabatur.

§. 85. 1. Cum hac doctrina de ciborum discrimine non amplius observando arctissime cohaeret alius loci doctrina, secundum quam caerimoniae externae in cibis potuque versantes solum usque ad Messiae tempus valent, i. e. jam dudum abrogatae sunt. Quae sententia invenitur c. 9, v. 9 et 10. hisce verbis exposita: terrenus Mosaicus cultus homines expiare non potest, quum versetur «in solis cibis et potu et variis «lotionibus, et externis corporis piaculis, quae «non valent, nisi usque ad tempus emendationis» i. e. novae legis per Messiam dandae (cf. §. 13, 7.) quae igitur jam abrogata sunt, quum Messias jam in terram advenerit (cf. Rom. 10, 4; et §. 29, 1.). Namque adhortatio ad leges cibarias non amplius observandas ex ista de externis piaculis per Messiam abrogatis sententia ultro manat, atque in ea nititur. Sed haec de abrogatis externis piaculis doctrina ipsa ex alia illa doctrina de abrogata universa lege, quae in pluribus invenitur epistolae locis (cf. 7, 18, 19; 10, 8, 9.), emanat, et cum ea conjunctissima est. Quae potissimarum epistolae doctrinarum cum nostra explicatione congruentia et intima cohaerentia nostram explicationem non mediocriter confirmat, quum eam in universa epistolae disciplina fundatam aliasque explicationes huic disciplinae alienas esse, demonstret.

2. Etiam ex hoc igitur loco, qui de cibis agit,

epistolam ad gentiles Christianos datam esse cognoscimus.

§. 86. 1. Lectores epistolae gentiles fuisse, porro apparet ex illo loco, ubi res instantis regni Messiani describuntur (12, 22 sqq.). Verba haec sunt: Non vobis instant res terribiles, ... sed acceditis ad regnum Messianum, ad montem Sion [in quem demissa erit coelestis aedes Jehovae], et ad Hierosolymam coelestem, Dei civitatem, et ad myriades angelorum [Jehovae circumfusorum], et ad *congregationem ac coetum primogenitorum in librum vitae, qui in coelis est, inscriptorum*, et ad judicem omnium Deum, et ad spiritus perfecte piorum [i. e. animas hominum perfecte piorum in paradiso superiore apud Deum asservatorum, quae, quia ipsum momentum initii regni Messiani describitur, quo resurrectio mortuorum corporum nondum evenit, nondum cum corporibus suis conjunctae sunt] et ad novi pacti mediatorem Messiam.»

2. Dicit scriptor, lectores epistolae in regno Messiano praeter alias res etiam congregationem primogenitorum inventuros esse. Sub nomine primogenitorum nonnisi Israelitas subintelligendos esse, notissimum est (cf. Exod. 4, 22. et explicationes istius loci in Medraschim). Quum vero in commate sequente separatim commemorentur spiritus perfecte piorum i. e. animae mortuorum Israelitarum perfecte piorum, illo primogenitorum nomine ii Judaei significari

videntur, qui ad Messiae adventum in terra superstites sunt, ac vivis corporibus in regnum Messianum ineunt. Saltem verbo primogenitorum Israelitae designantur.

3. Jam quum scriptor hos primogenitos a lectoribus in regno Messiano inventum iri dicat, lectores epistolae non ipsos illos primogenitos esse declarat; fuerunt igitur e gentilibus.

§. 87. 1. Ac denique loco adhuc ab interpretibus non sufficienter explicato, e nostra sententia nova lux exoritur. Illum dico locum, ubi scriptor, postquam homines ob piam fidem in V. T. libris laudatos enumeravit, ita pergit (11, 39, 40.): „Et hi omnes testimonio fidei probati non reportaverunt promissum [i. e. regni Messiani felicitatem, resurrectionem (v. 35.) ac remunerationem (26), qua in vita futura, in Hierosolyma coelesti (v. 10, 16.) commorantes, fruituri sunt], *Deo respectu nostri melius quiddam providente, ne sine nobis absolverentur.*"

2. Ex verborum contextu videmus, melius illud consilium, quod Deus de lectoribus epistolae cepit, in eo ipso consistere, quod lectores in numerum piorum illorum felicitate regni Messiani remunerandorum excepti sunt; ex quo consequitur, eos sine hoc meliore Dei consilio socios piorum illorum hominum non futuros fuisse, i. e. e regni Messiani expertes futuros fuisse. Jam simplex haec conclusio demonstrat lectores gentiles Christianos fuisse.

3. Si vero locum accuratius perpendimus, in sententia illa: «Deus respectu nostri melius quiddam providit, scilicet ut etiam nos cum illis «piis absolveremur, i. e. ut etiam nos in perfectum illum statum, quo pii in regno Messiano «fruentur, adduceremur», in hac, inquam, sententia celebratissimam illam Pauli doctrinam de gentilibus per consilium Dei sibi revelatum ad regni Messiani societatem admissis non tecte inesse animadvertimus.

4. Quae doctrina, etsi judaicae disciplinae minime est aliena, tamen a Pauli aequalibus, vel saltem ab aequalibus judaicis Christianis contrariam sententiam proponentibus (cf. Matth. 15, 24 et 26; 10, 5, 6; 7, 6; 13, 36-43, 47-50.), ut falsa rejiciebatur et damnabatur. Docebat enim Paulus: Deum singulari quodam consilio prioribus ignoto atque ipsi demum revelato postremis hujus aevi temporibus etiam gentilibus aditum ad regnum Messianum aperuisse, ut universi homines, et Israelitae et gentiles, redacti in unum corpus cultorum Jehovae et Messiae, in regno Messiano pari felicitate fruerentur.

5. Quam doctrinam fusius expositam invenies in epistola Pauli Ephesiis data (1, 9-14.), ubi Paulus ita scribit: . . . . ut (Deus) notum faceret nobis *mysterium* voluntatis suae *secundum consilium suum*, quod sibi proposuerat ad constituendum *temporum* [i. e. hujus aevi] *exitum*, OMNIA IN UNUM CORPUS PER MESSIAM REDIGENDI,

omnia quae in coelis et quae in terra sunt [i. e. Deum et regnum coeleste cum incolis terrae antea Diabolo subjectis Deoque inimicis reconciliandi, ita ut omnes homines, gentiles non minus quam Judaei, in Dei partem coacti sub rege Messia in unum coalescerent Dei populum]. Atque in c. 3. ejusdem epistolae ita eandem sententiam repetit: Audistis, (Deum) per revelationem mysterium mihi notum fecisse,...... quod prioribus aetatibus hominum filiis ignotum fuit, sicuti nunc sanctis Apostolis ejus et Prophetis per spiritum sanctum revelatum est: *gentes esse coheredes* et *concorporatas* [populo Dei] et *consortes promissionis* ejus [i. e. regni Messiani] per Messiam ope evangelii.

6. Quum igitur illa epistolae nostrae sententia hanc Pauli de gentilibus doctrinam attingat, et scriptor verbo *nos* indicet, lectores esse e numero horum, qui Dei benevolo consilio ad regni Messiani societatem recepti sint, nulla amplius relicta est dubitatio, quin lectores epistolae gentiles fuerint.

7. Itaque hic locus, qui, si in judaicos Christianos refertur, omni sensu destitutus est, ut variae interpretum explicationes plus minusve tortae evidentissime demonstrant, de gentilibus Christianis intellectus optimum praebet sensum.

§. 88. Jam idoneas mihi videor rationes quum ex universo epistolae argumento tum ex singulis epistolae locis protulisse, quibus cuivis sincere

brorum N. T. locis, qui Apollo mentionem faciunt, colligere licet, tales coetus fuisse Corinthiorum et Ephesiorum, quum Apollos invicem Corinthi et Ephesi commoratus esse videatur (cf. Act. 18, 24.; 19, 1.; 1 Cor. 16, 12.).

4. Jam vero in epistola nostra locus inest (c. 10, 32–34.), ubi persecutio commemoratur, quam lectores pertulerant, paullo postquam in Christianorum societatem recepti erant, in qua varie quidem vexati sunt, *expositi in theatro* (θεατριζόμενοι), dejecti in carcerem, opibus spoliati, nec tamen quisquam eorum vitam perdidit, id quod e c. 12, v. 4. aperte apparet.

5. Qui locus in Corinthios quidem non quadrat, quippe quorum nulla omnino persecutio commemoratur, at eo melius in Ephesios. Hi enim paullo (secundo anno) postquam in Christianorum numerum recepti erant, persecutionem pertulisse narrantur, quae cum ea, quae in hoc nostrae epistolae loco commemoratur, prorsus congruit.

6. Illas argentariorum specto turbas, quas in actis Apostolorum (c. 19, 23 sqq.) narratas inveni-

---

fuerit, tamen propter pecunias, quas Hebraeis quovis itinere, quod Hierosolymam fecit, donum offerre solitus sit, jure dicere potuisse: «Orate pro nobis, quo celerius vobis restituar», quia Hierosolymitani Pauli pecuniis opus habuerint. Quae argumentatio, quum sordidiorem animum Hebraeis illis tribuat, nec sententiam Paulo dignam ponat, a quovis sincere sentiente reprobetur necesse est.

mus. Demetrius quidam argentarius timens, ne nova Christianorum secta deminutio de quaestu argentariorum fieret, totam civitatem excitavit (v. 29.), ita ut Pauli comites, Gaium et Aristarchum Macedones, in theatrum traherent apud populum congregatum accusaturi, qui tumultus a magistratu aegre sedari potuit. Quae narratio laudatum nostrae epistolae locum clarissime illustrat, atque praecipue luculentissime explicat, quid sibi velit scriptor dicens, lectores cum conviciis et conflictionibus in theatro expositos fuisse, in qua re commemoranda quum ambo loci concinant, evidenter apparet, unum eundemque eventum ambobus tractari. Etenim in tumultu homines vexari, in carcerem conjici, spoliari, res est omnibus tumultibus communis, atque adeo vulgaris, ut eam commemorari non necesse sit, homines vero in tumultu quodam in theatrum tractos ibique, ut accusarentur, in medium protrusos esse, res singularis est ac fortuita.

7. Quod igitur ambo loci eandem rem fortuitam commemorant, et ita quidem, ut locus ille actorum Apostolorum unicus in N. T. libris exstet, qui homines in tumultu in theatrum tractos ibique in medio constitutos esse (v. 33.) enarret, atque nostrae epistolae locus in N. T. libris aeque unicus sit, qui homines θεατριζομένους commemoret (quod verbum semel tantum in N. T. libris in hoc ipso nostrae epistolae loco inveni-

tur), haec inquam res, quae minime fortuita esse potest, demonstrat, unum eundemque eventum ambobus locis significari.

8. Quare nulla dubitatio mihi relinquitur, quin illae Ephesiorum turbae hoc nostrae epistolae loco commemorentur. Igitur lectores epistolae Ephesii fuerunt.

§. 90. 1. Cum qua sententia omnes ii epistolae loci, qui vulgari opinioni repugnant, praeclare consentiunt.

2. Neque lectores epistolae neque auctor ejus Jesum ipsum docentem audierant, igitur argumentatio illa, qua scriptor utitur in c. 2, v. 3, nullam amplius praebet difficultatem.

3. Nec minus plana redduntur, quae scriptor de lectorum beneficentia (c. 6, v. 10.) honorifice dicit, quum notum sit coetus gentilium Christianorum in Macedonia, Graecia et Asia minore auctore Paulo collationes fecisse ad sublevandos «pauperes sanctorum, qui Hierosolymae sunt» (Rom. 15, 26.).

4. Cum Ephesiis denique Timotheus arctissima familiaritate conjunctus erat, quum Paulum comitans non solum diutius ibi commoratus esset ibique docuisset, sed etiam e Pauli mandatis coetum Ephesiorum creatis magistris et senioribus constituisset, ut e prima Pauli ad Timotheum epistola apparet. Minime igitur absonum est, Timotheum commemorari (13, 23.), minimeque

mirandum, quod Timotheus vix e vinculis liberatus illico ad lectores venire dicatur. Ephesiis enim quasi alter Paulus erat.

5. Nec minus ex actis Apostolorum conjicere licet, frequens inter coetum Ephesiorum et Romanorum fuisse commercium, quum Aquilas, postquam Roma expulsus per plures annos unus primorum coetus Ephesii fuerat (Act. 18, 2, 18.), postea Romam reversus (Rom. 16, 3.) utriusque coetus esset, quare locus c. 13, 24. mirus videri non potest.

6. Itaque omnes loci, qui vulgari opinioni adversantur, per nostram sententiam plani redduntur, neque ullus epistolae locus restat, qui aliquam obscuritatem praebeat.

§. 91. 1. Jam vero etiam tempus, quo epistola nostra data sit, satis certo finiri potest. In capitis 13 versu 7 lectoribus mors magistrorum, qui evangelium iis nuntiaverunt, exemplum perseveranter servatae fidei proponitur.

2. Hic locus, si vulgarem de lectoribus epistolae sententiam sequimur, alteri illi loco, qui lectores cruentam persecutionem nondum pertulisse dicit (12, 4.), quam maxime repugnare videtur; occisis enim magistris coetus cruentam persecutionem nondum pertulisse jure dici non potest. Sin autem lectores sunt Ephesii, haec repugnantia optime tollitur. Tum enim nemo nisi Paulus hoc loco significari potest. Is enim

Ephesiis evangelium nuntiaverat, eumque, quum eorum coetum constituisset, ac diutius inter eos magister vixisset, summo jure eorum ἡγούμενον nominari potuisse, nemo est qui neget. Scriptorem verbo ἡγουμένων, plurali numero usum, etiam Petrum, qui una cum Paulo Romae obierat, significare voluisse, minime a veritate abhorrere videtur, quia Petrum, si uno cum Paulo Romam ierat, prius cum Paulo in coetu quodam Asiatico congressum esse et aliquamdiu vixisse vero simile est, quare etiam Petrus in numero eorum, qui Ephesiis evangelium nuntiaverint, memorari potuit.

3. Ita Paulo Petroque Romae mortem obeuntibus, coetus Ephesiorum nihilo minus tranquillitate fruebatur, itaque minime secum pugnat, quod interfecti magistri memorantur, ac simul lectores nullam cruentam persecutionem pertulisse dicuntur. Hoc pacto locorum illorum inter se repugnantia, quae secundum vulgarem de lectoribus opinionem nullo modo sufficienter tolli potest, simplicissime et luculentissime solvitur, id quod nostram sententiam quam maxime confirmare mihi videtur.

4. Simulque explicatur, quare Pauli mentio in epistola non fiat, quum familiarissimus Pauli discipulus commemoretur.

5. Tempore igitur, quo Apollos has litteras dedit, Paulus mortem jam obierat. Simul Timo-

theus captus fuisse et liberatus esse dicitur, ita enim v. 23 c. 13 interpretandus est [155]. Conjicere licet, hanc Timothei captivitatem non alienam esse a morte Pauli, quum vero simillimum sit, Timotheum assiduum Pauli comitem una cum eo Romae fuisse, quum caperetur, Paulique captivitatis socium factum esse; minimeque rationi repugnat, hanc captivitatem eum habuisse exitum, ut Paulus et Petrus seniores homines, qui ob ipsam provectiorem aetatem judici magis in culpa esse viderentur, capitis damnarentur, junior Timotheus autem, ut qui ob minorem aetatem insons videretur, judicata causa liberaretur.

[155] Valde miror, Hugium Schulzii interpretationem hujus versus comprobare, atque id ponderis ei addere, ut argumentum ad confirmandam suam sententiam ex ea petat. Quum enim Graecis usitatissima verborum constructio sit, verbis sciendi rem, quae scitur, in Accusativo cum Participio adjungere, sicut Latinis mos est, post talia verbo Accusativo cum Infinitivo uti, quam regulam in quavis grammatica graeca facillime reperire potes, cf. Buttm. §. 131, 4, b. p. 538 sq.; Matth. ausführl. gr. Gr. T. II. §. 548, 2, p. 1075; Winer §. 39 1, b. p. 140, versus ille non nisi hanc sententiam habet: Scitis fratrem nostrum Timotheum liberatum esse, minime vero illam, quam Schulzius scriptoris verbis subjecit, et quam Hugius hominis subdubitantis esse nimis sagiciter putat, scilicet: nostis certe Timotheum illum liberatum? Quae igitur Hugius ex hac, quam dubitanter factam esse putat, mentione Timothei colligi vult, nullius momenti sunt.

6. Haec si vera sunt, epistola nostra non longe post causam dijudicatam scripta esse potest, quum scriptor Timotheum liberatum redeuntem exspectet (13, 23.). Epistola igitur non multo post Pauli mortem exarata est, autumno anni 67 p. Chr. n.

§. 92. Jam ipsum locum, ubi Apollos epistolam dederit, finire possumus. Rectissime Bleekius e verbis illis scriptoris (13, 23.) „cum quo (Timotheo), si citius venerit, vos visam" conjecturam fecit, Apollo habitasse in urbe vel portu quodam, quem Timotheus ex loco captivitatis profectus et ad lectores epistolae visendos navigans in itinere attingere debebat. Quum igitur Timotheus e nostra sententia Romae captivus fuisset, et itineris terminus Ephesus esset, non alius locus aptius in medio itinere situs esse poterat Corintho. Corinthi igitur Apollo commoratum esse necesse est. Atque id optime cum iis convenit, quae supra diximus, Apollo in his duabus potissimum urbibus, Corinthi et Ephesi, invicem commoratum esse. Itaque epistolam nostram Corinthi exaratam esse, a verisimilitudine minime abhorret.

§. 93. 1. Eorum igitur, quae adhuc disputavimus, summa est: Epistolam nostram Ephesiis autumno anni 67 p. Chr. n. Corinthi datam esse.

2. Quodsi jam cum hac nostrae disquisitionis summa conjungimus, quae Viri docti de auc-

tore epistolae disputaverunt, et quae ipsimet supra de argumento et consilio epistolae disseruimus, omnia una comprehensione ita amplecti possumus: Epistola vulgo Pauli ad Hebraeos inscripta ab Apollo Ephesiis anno 67 p. Chr. n. Corinthi data est ad confirmandam debilitatam Ephesiorum spem regni Messiani.

3. Quae sententia quum vulgarem de epistola opinionem totam evertat, eam non indignam habeo, quae a Viris doctis accuratius examinetur.

Loci librorum N. T.

qui in hoc libro nova explicatione illustrantur.

Index omnium locorum

e libris N. T. laudatorum.

Index rerum et vocabulorum memorabiliorum.

Index librorum hebraicorum,

qui in hoc libro laudantur.

Sepher hakusri, auctore R. Jehuda ben Saul Tibbon, Vindobonae 1800.
Sepher jezirah, cum 5 commentariis hebraicis, Horadnae (in Polonia Russica) 566 (1806). 4°.
Sepher rabboth, Francofurti ad Viadrum 422 (1662). 2 Tom. fol.
Sidor lifne Jisrael, Rodilohemi 1831. 8°.
Sohar, Amstelodami 565 (1805). 3 Tom. 8°.
Sohar chadasch, Amstelod. 461 (1701). 4°.
Taame mizvoth, auct. R. Menachem Rekanati, Basileae 341 (1581). 4°.
Tikune Sohar, Amstelod. 528 (1768). 8°.
Zeror hammor, auctore R. Abraham Seba, Cracoviae 355 (1595). fol.

TYPIS J. F. BAYRHOFFER.

Empfehlungswerthe Schriften

aus dem Verlag von

Siegmund Schmerber in Frankfurt am Main.

Steinheim, die Offenbarung, nach dem Lehrbegriffe der Synagoge, ein Schiboleth, 1r Th. 8. 1835. Rthl. 1. 21 gr.

Glöckler, C., Commentar über den Brief Pauli an die Römer. 8. Rthl. 2. 6 gr.

— — die Evangelien des Marcus, Matthäus und Lucas in Uebereinstimmung gebracht und erklärt. 8. Rthl. 3. 12 gr.

Tägliche Herzensweide, aus D. M. Luther's Werken, herausg. von Krummacher. Rthl. 1. 3 gr. fein Papier Rthl. 1. 18 gr.

Möller, A. W., der Tisch des Herrn. Ein Andachtsbuch für Abendmahlsgenossen. Zweite verb. Aufl. 12. 12 gr. Auf Velinpap. mit Titelk. 18 gr.

Egeling, L., der denkende Christ. Aus dem Holländ. von Weydemann. 12. 1834. 12 gr. Velinpap. 18 gr.

Palaeologica zur Geschichte der Erde und ihrer Geschöpfe, von Herm. v. Meyer. 8. 1832. Rthl. 3. 18 gr.

Archiv für Geschichte und Literatur. Herausgeg. von Geh. Hofrath und Prof. F. C. Schlosser in Heidelberg und Dr. Bercht. 6 Bände. 8. 1830 — 1835. Rthl. 10. 8 gr.

Hieraus einzeln:

Zur Beurtheilung Napo-leons und seiner neusten Tadler und Lobredner, von Schlosser, in 3 Abth. Velinpap. Rthl. 4. 12 gr.

Thucydidis de bello Pelopon-nesiaco libri octo. Contextum verborum ad optimorum librorum fidem editum; varietatem lectionis: summaria Hackiana et Dukeri indices rerum et verborum adauctos complectens. Curante Rob. Ad. Morstadtio. — Vitas Thucydidis a veteribus grammaticis conscriptas; adnotationes Dukeri integras, aliorum selectas; Dukeri indicem notarum locupletiss. auctum complectens. Curantibus G. Gervino et F. C. Hertlein. 4 voll. 8. maj. Rthl. 11. 12 gr. Ed. splendidiss. Rthl. 15. 4 gr.

Specimen scriptorum graeco-rum minorum quorum reliquias, fere omnium melioris notae, ex edit. variis excerptas ab J. A. Giles recognoscet et supplebit J. H. Hainebach. 8. 8 gr. charta anglica 10 gr.

Demosthenis Philippicae se-cundum codd. mscr. recognitae. Prolegomenis annotatione critica et commentariis illustratae ab J. Th. Voemelio vol. I — III. 8. Rthl. 4. 6 gr. charta anglica Rthl. 6. 8 gr.

Eustathii, Archiepiscopi Thes-sal. opuscula, argumenti theologici, philologici, historici, nunc primum edid. Th. L. F. Tafel. 4. maj. Rthl. 8. charta anglica Rthl. 12.

Thesaurus graecae linguae ab Henrico Stephano constructus. Post editionem anglicam novis

additamentis auctum, ordineque alphabetico digestum tertio ediderunt C. B. Hase, G. et L. Dindorf. fol. Parisiis.

Romancero e historia del muy valeroso cabellero el Cid, Ruy de Vibar, edicion completa. 16. Rthl. 1. 12 gr.

Poètes français contemporains publiés par deux dames, papier vélin. 8. Rthl. 3. 8 gr.

Erinnerungen an Italien. I. Toskana, mit 26 Abbildungen in
Stahlstich Rthl. 2. 6 gr.
Tondruck Rthl. 3. 8 gr.

Dichtergarten, 8. 1835. Rthl. 2. 6 gr.

Eine elegant auf Velinpapier gedruckte Sammlung der Meisterstücke deutscher Poesie, den Frauen gewidmet.

Kunstreise durch England und Belgien, von J. D. Passavant. Mit 10 Abbildungen in Kupferstich und Steindruck. 8. 1833. Rthl. 3. 12 gr.
Fein Papier Rthl. 4. 12 gr.

Deutsches Lesebuch. Eine Sammlung von Musterstücken in Prosa und Poesie für das mittlere Jugendalter, mit den nöthigen Erläuterungen zum Schul- und Privatgebrauche, von G. L. Kriegk. 2te verb. und verm. Aufl. Rthl. 1. 3 gr.

Belehrende Darstellungen für das höhere Jugendalter, von Demselben.

Aus den Werken von Buch, Dippold, Engel, Erhardt, Forster, Funk, Garve, Goethe, Hammer, Herder, Heydenreich, Hirschfeld, Humboldt, Jacobs, Lessing, Lichtenberg, Martius, Matthisson, J. Müller, Niebuhr, Pestalozzi, Ranke, Raumer, Rehm, Reinhard, Reinwardt, J. P. Fr. Richter, Rosenmüller, Rühs, Schiller, Schleiermacher, Schubert, Speth, Spix, Steffens, Tillier, Varnhagen, Weisser, Wieland, Winkelmann, Zimmermann, Zollikofer
Rthl. 1. 16 gr.

Morstadt, R. A., Chrestomathie aus lateinischen Dichtern, zum Schulgebrauche zusammengestellt. 12 gr.

Historisch-geographisches Gemälde von Deutschland, zur Förderung der Vaterlandskunde. Mit Stahlstichen.

Unter der Presse:

Die Familie von Bethanien. Ein Trostbuch, von L. Bonnet, aus dem Franz. übersetzt von A. Vogel.